

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis  
praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia**

**Baldinger, Bernhart  
Stucki, Johann Rudolf  
Heidegger, Johann Heinrich**

**1669**

Pars secunda

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](#)

Denique Patres volunt, summam cautionem adhiberi, ne aliquid Evcharistiae in terram decidat : Tertull. de coronâ militis. Orig. hom. 13. in Exod. Cyrillus catech. 5. Dicunt præterea, sacra Eucharistiae symbola adorari : Theodor. dialog. 2. Ambros. l. 3. de Spiritu. Aug. in ps. 98. Orig. hom. 5. in diversa loca Evang. Quid est autem causæ, cut Patres tantam cautelam & adorationem exigant circa Eucharistiam, & non circa Baptisnum, aut S. Codicem? Plura Patrum testimonia Catholicis faventia vide apud Bellarminum, Gaulterium, Sanctesium, Forerum & alios. Jam superest

PARS SECUNDA.  
IN QVA ADVERSARIO-  
rum argumenta dis-  
olvuntur.

**Q**uoniam hucusque luculenter ostendimus, nos in negotio Eucharistiae magis secundum S. Scripturam & Patres, quam Adversarios, loqui; idcirco nihil aliud superesse videtur, quam ut ipsorum obiectionibus respondeamus. Sit itaque C.A.

## C A P U T I.

R E F E L L I T U R I . A R -  
gumentum Adversa-  
riorum.

**O**bijcies I. In Evcharistiâ terminus à quo non interit, quod Apostolus 1. Cor. 11. v. 26. 27. 28. clarè ostendit, ubi nomen Panis post consecrationem ter inculcat, ut testimonio suo fidem abundè faciat. Ita Stuckius pag. 17. Quod argumentum ad formam hoc, vel simili modo, revocatur :

Panis in scripturâ non aliter sumitur, quàm pro pane materiali:

Sed Evcharistia ab Apostolo 1. Cor. 11. appellatur panis :

Ergò Evcharistia non est nisi panis materialis, terrenus &c.

Respondeo, Majorem esse evidenter falsam: nam Christus seipsum, & suam carnem vocat panem, dicens: *Panis, quem ego dabo, caro mea est: Jo. 6. 52. & Qui manducat hunc panem, vivet in eternum: Jo. 6. 59.* Et tamen neque

E 7

caro-

caro Christi, neque ipse Christus est panis materialis & triticeus; sed est panis cælestis, sanctus, & divinus, ut existit sub speciebus panis, & cum illis constituit unum visibilem cibum, & in quantum talis cedit in usum fidelium & in verum cibum. Eâ itaque ratione Apostolus Eucharistiam appellat panem, qua Christus seipsum, suamque carnem vocat panem: & quidem ille voce in *panis* semper cum articulo connotativo pronunciat, ut insinuet, le vocem *panis* à vulgari pane ad aliquem singularem, & à communi significacione sublimiorem Dominici Corporis intelligentiam transferre; sic enim loquitur: *Quotiescumque manducabis panem hunc, &c. Quicumque manducaveris panem hunc, &c. Sic de pane illo edat.*

## CAPUT II.

CONFUTATUR II. AR-  
gumentum.

**O**bijcies II. In verbis: Probet quisque seipsum, & sic edat de hoc pane. id est, portionem sumat hujus panis, magna emphasis & vis est. Id enim natu-

naturali corpori Christi, quod in cænâ nobis offertur, aptari non potest,  
cujus portio capi non potest.

Formam hujus argumenti sic cape :  
Id, de quo editur, præciditur in di-

stinctas particulas :

Sed verum Christi corpus non præ-  
ciditur in distinctas particulas :

Ergo verum Christi corpus non est  
id, de quo editur.

Respondeo, falsitatem Majoris o-  
stendunt hæc Christi verba : *Ego sum  
panis vivus : si quis manducaverit ex hoc  
pane, &c.* Jo. 6. 52. Ubi Christus  
dicitur esse ille panis, ex quo editur ;  
& tamen Christus nō præciditur in di-  
stinctas particulas. Quòd si illa ver-  
ba apud Joañem Christo aptantur, cur  
ea apud Apostolum vero Christi cor-  
pori nequeant aptari ? Meritò autem  
utrobique aptantur : nam *Edere de hoc  
pane nihil est aliud, quam Edere hunc  
panem : uti videre est apud Joan. cùm  
enim Christus prius dicat : si quis man-  
ducaverit ex hoc pane ; mox idem re-  
petit his verbis : Qui manducat hunc  
panem* : Ibid. v. 59. & apud ipsum Aposto-  
lum,

lum, qui prius dicit: *De pane illo edat &*  
*mox subjungit dicens: Quotiescunque*  
*manducabit is panem hunc.* Cæterum  
 si quam emphasin ista verba, *De hoc*  
*pane edat*, habeant, ea utique erit,  
 qua significatur integritas & incola-  
 mitas panis Eucharistici, qui sine sui  
 diminutione & corruptela fideles pas-  
 cat. Ratio enim, cur iste, & ille, ac-  
 tot alijs de illo possint edere, est, quia  
 ipse nunquam absimitur, sed semper  
 superest, de quo adhuc alijs edant. Nec  
 minor inest emphasis illis atijs verbis:  
*Qui manducat hunc panem &c.* Ijs e-  
 nim, si benè excutiantur, eruitur, sin-  
 gulis præberi iste panis integer, quia  
 nulla ejus pars excipitur. Atque ita  
 utroque textu ostenditur hujus divini  
 cibi integritas tam ratione sui, quam  
 ratione sumentium; quatenus Chri-  
 stus & integer manet ac illæsus, & in-  
 teger à singulis accipitur. Hanc in-  
 tegritatem Gabriel Biel lebt. 39. in  
 can. sic explicat: *Singuli accipiunt*  
*Christum Dominum, & in singulis por-*  
*tionibus totus est, nec per singulos mi-*  
*niatur, sed se in singulis præbet.* Pul-  
 cher.

cherrima sunt verba S. Andreæ Apo-  
stoli, quæ ab ejus discipulis ita recen-  
sentur: *Ego omnipotenti Deo immolo  
quotidie immaculatum Agnum, cuius car-  
nem posteaquam populus credentium  
mäducaverit, Agnus, qui sacrificatus est,  
integer perseverat & vivus.* Unde  
canit Ecclesia: *Sumit unus, sumunt mil-  
le: quantum isti, tantum ille: nec sump-  
tus consumitur.*

Huc sine dubio respexerunt Patres,  
quando cibum illum vocant incorrup-  
tum, inconsumptibilem, indeficien-  
tem. Orig. hom. 4. in diversa, sic lo-  
quitur: *Quando sanctum cibum, illudque  
incorruptum accipis epulum, quando  
pane vita & poculo frueris, manducas  
& bibis corpus & sanguinem Domini,  
tunc Dominus sub tuum pectus ingredi-  
tur.* S. Cyprian. serm. de cæna: *In-  
consumptibilem cibum Magister apponit  
discipulis.* S. Aug. de verb. Apost. c. 2.  
*Putastis, quia de hoc corpore, quod vi-  
detis, partes facturus sim, & membra  
mea consciurus, & vobis daturus?*  
*Quid si ergo videritis filium hominis  
ascendentem, ubi erat prius? Certè qui-*  
inten-

integer ascendere potuit, consumi non potuit. Ergo & de corpore ac de sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem: & tam magnam breviter solvit de sua integritate questionem. Manducent ergo, qui manducant; & bibant, qui bibunt: esuriant & sitiunt: vitum manducent, vitam bibant. Illud manducare refici est: sed sic reficeris, ut non deficiat, unde reficeris. En quām præclarè Augustinus!

### CAPUT III. REIICITUR III. ARGU-

mentum.

**O** Bjc. 3. Pronomine *Hoc* panem omnibus conspicuum denotari, ex ipsa textū serie & λογογραφιῇ ανάγκῃ, & ex paraphrasi Paulina, 1. Cor. 10. 16. theses nostrae abunde ostendunt. ita Stuckius pag. 7. Quod argumentum Calvinus ferè ita format:  
Id Christus dedit discipulis, quod in manus accepit, benedixit, ac fregit:

Sed accepit, benedixit, ac fregit panem materialem:

Ergo

Ergò dedit discipulis panem matem  
rialem.

Respondeo 1. per instantiam hanc:

Id Christus dedit discipulis, quod  
acepit, benedixit, ac fregit:

Sed accepit panem vulgarem:

Ergò dedit panem vulgarem. Quod  
est contra Adversarios, qui asse-  
runt, Christum Apostolis non de-  
disse panem vulgarem, sed sa-  
crum & sacramentalem. Accipe  
& istam instantiam:

Id architriclinus Canæ gustavit,  
quod ministri hydrijs infuderunt:

Sed infuderunt aquam:

Ergò ille gustavit aquam. Hoc au-  
tem est contra Evangelium.

Respondeo 2. directè, & dico, Ma-  
jorem propositionem, absolutè & sine  
distinctione probatam, esse evidenter  
fallam, ut patet ex allatis duabus insta-  
tijs. Distinctionem verò proMajore se-  
cundæ instantiæ affert Evangelista his  
verbis: *Gustavit architriclinus aquam  
vinum factam*, Io. 2. 9. Ex cuius do-  
ctrinâ distinguo majorem argumenti  
ab Adversarijs obiecti, hoc modo:

Quod

Quod Christus accepit, id dedit discipulis eodem modo se habens; nego Majorem.

Quod Christus accepit, id dedit discipulis transubstantiatum; concedo Majorem, concessa deinde Minore, distingo consequens: hoc modo.

Ergo Christus dedit Apostolis panem eodem modo se habentem; nego consequentiam.

Ergo dedit panem transubstantiatum & carnem factum, concedo consequentiam.

Sicut ergo haec verba: *Haurite nunc, & ferte architriclino*, Io. 2. 8. non respiciunt puram aquam, de qua ramen mentio praecessit, sed aquam in in vinum conversam: ita haec: *Accipite & manducate*, non respiciunt, finita consecratione, purum panem, sed transubstantiatum & in carnem conversum.

Porrò Stuckius pag. 20. contra meam secundam instantiam haec retorquet:

Quod architriclinus gustavit, id vinum esse sensit & publicè professus est,

est, prorsus uti Dominus ipse, & Apostoli, quod in cænâ comederunt & biberunt, panem & vinum esse senserunt, & publicè professi sunt. Sicut ergo architriclino de vino testanti nuptiales cæteri crediderunt, ita Domino, Apostolis, & fidelibus cunctis, de pane & vino quoque in Cænâ testantibus, & ad sensus suos provocantibus credendum est. Sic Stuckius.

Verum quis non miretur, virum conspicuæ eruditionis & maturi judicij ista tam audacter effari quasi tot verbis ac syllabis ab Evangelistis prescripta esse, nempe quod Dominus ipse & Apostoli in Cænâ publicè professi sint, se comedisse panem & bibisse vinum, & quod Dominus, Apostoli, immo & fideles cuncti hoc modo loquendi de pane & vino in Cænâ testentur, & ad sensus provocent? Siquidem nec umbra hujusmodi professionis, testimoniij & provocationis in totâ contextûs serie apparet.

CA-

## CAPUT IV.

## DIFFLATUR IV. AR.

gumentum.

**O**bijcies 4. Articulus demonstrativus in hac propositione: *Hoc est corpus meum*, ostendit vel panem, vel corpus? Si 1. ergo corpus prædicatorum de pane; ita ut sensus sit: *Hic panis est corpus meum*: & ita propositione est falsa. Si 2. ergo idem prædicatorum de seipso; adeoque propositione est identica.

Respondeo primò per instantiam: Pronomen in hac propositione: *Hic est Petrus*, vel ostendit alium, vel Petrum: non primum, quia propositione esset falsa: non secundum, quia propositione esset identica. Deinde per instantiam ad ipsos adversarios, qui Evcharistiam dicunt non esse vulgarem & prophaneum panem, sed sacrum & sacramentalem, sic arguo: Pronomen *Hoc* ostendit vel panem prophaneum, vel panem sacrum: si primum: ergo panis

nis sacer prædicatur de prophano, ita ut sensus sit : hic panis prophanus est sacer, & ita propositio est falsa. Si secundum : ergo idem prædicatur de seipso. Hinc patet, hanc difficultatem non esse peculiarem verbis Cænæ, sed per alias quoque vagari propositiones.

Respondeo 2. directè.

Pro responsione autem notandum primò inquirendum h̄c esse, quid pronomen Demonstrativum *Hic, Hæc, Hoc* in hisce propositionibus. *Hic* est ignis: *Hic* est mons. *Hæc* est aqua. *Hæc* est nix. *Hoc* est dolium. *Hoc* est lac. demonstret aut significet. Nam Demonstratio pronominis est eius significatio, inquit Major: consequenter, quò intellectus, auditu pronomine, fatur, & quid concipiatur, inquirendū est.

Notandum 2. in Petro nos aliter concipere rationem Petri, aliter rationem hominis, aliter rationem animalis, viventis, corporis, substantiæ, & Entis. Vnde possumus concipere Petrum sub ratione Entis vel substantiæ, et siue non concipiamus explicitè sub

sub ratione hominis, vel animalis, ut  
experienciam constat.

Jam respondeo & dico, in eiusmodi propositionibus designari praeclarè gradum substantiae abstractum à Differentijs specificis & individuantibus, contractum tamen ad accidentia. Unde quando dicitur *Hæc est nix*, pronomine *Hæc* demonstratur gradus substantiae, non repræsentatis illius differentijs sive specificis, sive individuantibus : ab his enim abstrahitur, & sensus est: Substantia horum accidentium est nix. Et consequenter quando dicitur: *Hoc est corpus meum*, pronomine *Hoc* nec panis, nec corpus Christi repræsentatur; sed gradus substantiae, nō repræsentando differentias, qui de se indifferens est ad panem, corpus, & quamlibet substantiam ponibilem sub speciebus. Et sensus est: *Substantia horum accidentium est corpus meum*. Quasi diceret Christus: *Substantia horum accidentium hæc enī panis*, uti ipsa accidentia se indicant, nunc est corpus meum, uti ego assero. Quæ verba indicant conversionem panis in corpus

corpus Christi. Certè, dum ministri in Cana Galilææ hydrias, jussu Christi, aquâ impletas afferrent, si quis eos interrogasset, quid hydrijs contineretur, ipsi optimè respondissent: *Hoc, id est, hydrijs contentum, est aqua.* Postquam verò Christus suâ divinâ virtute aquam in vinum convertit, & Architriclino proponi iussit, hic gustato potu proposito, optimè dixisset: *Hoc, est vinum.* Etsi ministri (ut pote qui sciebant, se hydrias non vino, sed aquâ implevisse) architriclino contradixissent, Christus diremisset litem, *juxta Evangelistæ Joan. 2. v 9.* loquendi modum, dicendo: *Hoc, hydrijs contentum, est aqua vinum facta:* quod idem est, ac si dixisset: *Hoc hydrijs contentum priùs quidem fuit aqua, jam verò, meâ operante Divinâ virtute, est aqua in vinum conversa.* En tò *Hoc* in istis propositionibus semper connotat illam substantiam, sive liquorem illum, qui hydrijs continebatur, abstrahendo b e j u s differentijs specificis, quæ de-  
r. Vide per prædicata *Aqua, Vinum, Aqua*  
*vinum facta* ideo adstruebantur, ut

F audito-

auditores in claram cognitionem venirent, quid illa substantia hydriis contenta propriè ac specificè esset. Immò si Christus, propositis sibi hydrijs, aquam divino suo verbo in vinum convertens dixisset: *Hoc* ( id est, hoc hydrijs contentum, mihique propositum) *jam est vinum*, verum locutus fuisse, quemadmodum ille verum loquitur, qui formando figuratas Mathematicas, vel litteras dicit: e. g. *Hoc*, quod nunc formo, *est circulus*, seu triangulus seu litera *A. B &c.*

Sic pari modo, si quis Ministros, qui Christo panem & vinum in ultimâ cænâ apposuerant, interrogasset: Quid est hoc, quod Christus manibus accipit? Benè respondissent: *Hoc*, quod manibus accipit, *est panis*. Et quid est iste calix, id est, hic liquor, qui calice isto continetur? Optime ante consecrationem dixissent: *Hic calix*, id est, hic liquor calice contentus) *est vinum*. At Christus, quia sciebat, quid sermo suus divinus operabatur consecrando, optimè dixit: *Comedite, hoc* (id est, quod vobis trado) *est corpus meum*.

*Math.*

125

Math. 26. 26. Et consecrando calicem:  
Bibite ex hoc omnes: *Hic* (id est; hic ca-  
lix, seu substantia calice isto contenta)  
est enim *sanguis mens.* Matth. 26. v. 28.  
Unde Paulus verba Christi sic refert:  
*Accipite & manducate: hoc est corpus  
meum, quod pro vobis tradetur: hoc fa-  
cete in meam commemorationem:* I. Cor.  
11. v. 24. Et de calice: *Hic calix no-  
vum testamentum est in meo sanguine.*  
v. 25. Id est, utiloquitur Lucas: *Hic est  
calix novum testamentum in sanguine  
meo.* Luc. 22. v. 20. ita ut manifestius  
apparet, articulum *Hic connotare*  
Calicem, id est substantiam calice  
contentam. Vide, quæ jam dixi I.  
parte. cap. 3.

## C A P U T V.

OCCURRITUR V. AR-  
gumentio.

Bijcit Stuckius, pag. 15. & quidem  
satis magno applausu, haec verba  
Pauli : *Poculum benedictionis, cui  
nedicimus, nonne communio Sanguinis  
est cuprissi est? Panis, quem frangimus,*  
F 2 nonne

zonnae communio corporis Christi est?  
1. Cor. 10. v. 16. Et quidem in his ver-  
bis Stuckius tria præsertim contra nos,  
ut ipse sibi persuadet. bene aduertit.

Primum, Eucharistiam ab Apostolo  
vocari *Panem*: & ideo Stuckius hunc  
formalem Syllogismum velut invinci-  
bilem supponit.

Eucharistia est id, quod à Sancto  
Paulo disertis verbis vocatur.

Sed Eucharistia à Sancto Paulo di-  
sertis verbis vocarur panis.

Ergo Eucharistia est panis.  
Secundum advertit, calicem dici  
poculum benedictionis, cui benedicimus,  
& ideo ait: Sanguis benedictionis  
pro poculo benedictionis nullo judi-  
cio substituitur; aliud enim est san-  
guis benedictionis activæ, aliud pocu-  
lum benedictionis passivæ, quæ con-  
fundinon debent. Si Paulus, ex ho-  
minum illorum παρεξηγήσει, intellexi-  
set sanguinem, non dixisset poculum  
benedictionis, cui benedicimus; sed po-  
culum benedictionis, à quo benedi-  
cimur: Sine ulla enim controversia id,  
quod minus est, ab eo, quod majus est, be-  
nedi-

nedicitur. Hebr. 7. v. 7. Cùm igitur sanguis Christi vel oblatio corporis & sanguinis Christi in perpetuum nos consecret, & sanctificet, Heb. 10. v. 10. & 14. non utique *sanguis benedictionis* heic subjecti loco ponitur, à quo spiritualem sanctificationem omnem haurimus: sed poculum benedictionis, cui benedicimus, dum illud ad obsignandam & confirmandam nobis communionem Sanguinis Christi, verbo Dei & precibus, præparamus. Sic Stuckius fol. 16. Similia deducere conatur de corpore Christi, quod frangimus. Quate ut vis hujus argumenti melius pateat, eam hoc syllogismo propono,

Sine ullâ controversiâ id, quod minus est, ab eo, quod majus est, benedicitur:

**Sed poculum Evcharisticum à nobis benedicitur.**

Ergò poculum Evcharisticum est aliquid minus, nobis, & nos sumus aliquid majus: & consequenter poculum Evcharisticum non est Sanguis Christi, qui uti-

F 3

que

que aliquid nobis majus est: sed  
est merum vinum: hoc enim,  
non illud, nobis minus est.

Major est S. Pauli Heb. 7.v.7.

Minor est ejusdem 1. Cor. 10.v.16.

Argumentum est in forma, & ideo  
Adversarijs videtur irrefragabile.

Tertium observat, quod Paulus in  
Græco textu, & quidem non absque  
emphasi, utroque loco, nomen *κονωνιας*  
tam de communione sanguinis,  
quam corporis Christi posuerit; quia  
Chrysostomus, ait Stuckius, *κονωνιας*  
*id est, communionem*, plus esse dicit,  
quam *μετοχην*, id est, *participationem*,  
quod ad hanc satis sit partem habere,  
ad illam autem requiratur, ut prorsus  
uniamur, atque totum id percipiamus,  
quod fidei nostræ offertur. Sic Stu-  
ckius fol. 15.

Hæc sunt illa tria, quæ Stuckius in  
præfatis verbis Apostoli observat:

Respondeo, & quidem primò ad  
primum, concedendo Majorem primi  
illius formalis syllogismi. Minorem  
autem sic distinguo. Eucharistia vo-  
catur à S. Paulo dissentis verbis panis  
natu-

naturalis ac triticeus, nego: vocatur panis absolutè, intelligendo tamen panem sacrum, supernaturalem, ac divinum, uti jam suprà explicavimus fol. 109. concedo. At sic meritò non illam Stuckij, sed hanc conclusionem deduco: *Ergò Eucharistia est panis sacer, supernaturalis, ac divinus, & sic non aliis, quām ipsum corpus Christi, quod Christus ipse in cœna discipulis suis in cibum verè supernaturalem præparavit, dicendo: Manduca-te, hoc est corpus meum.* 1. Cor. 11. 14.

Et certè, quōd ibi per *panem* aliquis alias panis, quām merus panis triticeus, intelligatur, patet præter loca supra fol. 109. allata, ex illo ipso Pauli loco, 1. Cor. 10. ex quo Stuckius contra nos argumentatur. Nam postquam Paulus dixit: *Panis, quem frangimus, nonnè communio corporis Domini est?* v. 16. Mox addit: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* v. 17. Certè ille panis, de quo uno, juxta verba Divi Pauli, omnes participamus, non est panis triticeus, sed

F 4 ipse-

ipsemet Christus. Quid ergò mirum,  
quòd Paulus ipsum corpus Christi in  
Evcharistiâ sub speciebus panis con-  
tentum, etiam versu mox antecedente,  
vocet panem?

Ad secundum respondeo, & dico,  
argumentum Adversarij involuere æ-  
quivocationem; nam terminum benedi-  
ctionis, & benedicimus uno sensu ponit,  
cùm tamen Paulus, locis à Stuckio ci-  
tatis, eum diverso sensu posuerit. Ut  
autem hæc latens æquivocatio magis  
innotescat, hunc similem syllogismum  
Oppono.

Sine ullâ controversiâ id, quod mi-  
nus est, ab eo, quod majus est,  
benedicitur,

Sed Dominus benedicitur à tribus  
pueris in fornace Babylonica:

Ergo sine ullâ controversiâ Domi-  
nus est aliquid minus tribus  
pueris, à quibus ipse benedici-  
tur: & consequenter ille Do-  
minus non est Deus, (si quidem  
hic utique aliquid majus est pue-  
ris illis, à quibus benedici-  
tur)

tur) sed est alius Dominus, qui  
minor est tribus pueris.

Major est illa ipsa ab Adversarijs ex  
S. Paulo Heb. 7. 7. contra nos propo-  
sita. Minorem testatur sacer textus,  
Dan. 3. 24. Immo etiam de Davide &  
alijs idem asseritur. Ps. 15. 7. 3. Reg.  
21. 10. & 13. &c. Quid ergo Adver-  
sarij de conclusione hujus ipsis obje-  
cti syllogismi quæ falsa est, & tamen  
in forma deducitur, dicent?

Dicent (si sane judicio responde-  
re volent) verbum *benedicere* alio  
sensu sumi in Majore à Paulo, & alio  
sensu in Minore à Daniele, & sic non  
mirum esse, si sequatur falsa conclusio.  
nemp̄ dicent, τὸ *benedicere* in Majore  
sumi eo sensu, quo aliquis major  
minori benedicit, suā benedictione  
ipsi majorem gratiam, ac sanctitatem  
largiendo, vel impetrando, quo sensu  
summus Sacerdos Melchisedech Abra-  
hamo benedixit; & ideo, ob hoc ipsum  
à Paulo in illo cit. cap. 7. probari, quod  
Melchisedech fuerit major Abrahamo  
& causam addit: nam sine illâ con-  
troversia id, quod minus est, ab eo, quod

F 5                  manus

*majus est, benedicitur, v. 7.* Quo ad Minorem dicent, tres pueros non isto, sed alio sensu Deo benedixisse, scilicet, *laudantes Deum & benedicentes Domino.* Daniel. 3. 24. Atque ideo (& quidem merito) conclusionem negari.

Quodsi Adversarij sic respondebunt, & *æquinvocationem Majoris, & Minoris huius sibi objecti syllogismi, & consequenter male inde deducam conclusionem manifestabunt, jure merito responsionem ipsorum approbabo;* at, bona ipsorum venia, eandem ipsorum responsionem ad syllogismum mihi objectum repono, & concedo, Paulum ad Heb. 7. 7. verbo *benedicere in Majo*re, eo sensu usum esse, quo eum Adversarij locutum fatentur, & series textus manifestè approbat. Quoad Minorem vero dico, nos poculo benedictionis Eucharistico illo eodem sensu benedicere, quo tres pueri Domino benedicebant, scilicet *laudantes Deum & benedicentes Domino,* quod non modo corpus suum pro nobis in crucem

crucem tradidit, suumque sanguinem effudit, sed etiam in Eucharistia hoc ipsum suum corpus & sanguinem, (utpote thesaurum omnis beneficentiae ac benedictionis) imperavit, ita ut non tantum panem ac poculum iEucharisticum ad obsignandam & confirmandam nobis communionem Sanguinis Christi, uti Stuckius suo libitu commentatur, verbo Dei & precibus, preparemus; sed eum vere ac realiter sumamus, & sic ipsi Christo, meliori modo, uniamur, ipsorumque totum, quem fides in Eucharistiâ nobis proponit, ac realiter præsentem testatur, vere ac realiter percipiamus, uti Ecclesia Catholica cum antiquis Patribus primâ parte allatis semper credidit, & credit. Et ideo quemadmodum Adversarij conclusionem syllogismi sibi objecti, ita & ego, pari omnino jure, conclusionem mihi objecti syllogisini, utpote falsam, nego.

Ad tertium, quod Stuckius oblevavit, respondeo, & concedo, quod D. Chrysostomus Græcæ, utpote nativæ lux linguae peritissimus observavit

rit, κοινωνίαν in utroque loco ponī, & plus dicere, quām μετοχή, quōd ad hanc satis sit partem habere: ad illam autem requiratur, ut prorsus uniamur. At non invenio id, quod Stuckius, quasi essent verba Chrysostomi, hisce addit: *arque totum id percipiāmus, quod fidei nostra offeruntur, quasi ille sanctus Pater docere voluerit, in Eucharistiā corpus Christi & sanguinem nō realiter sumi, sed tantum fidei nostrae offerri, eāque percipi.* Verba D. Chrysostomi in hunc locum sunt hæc: ὁ ἀρτος, ὃν κλῶμεν, ὡχὶ κοινωνίας τῆς σώματος τῆς χειρός ἐστι; Διὰ τί μὴ ἐπει, μετοχής ὅτι πλέον τι δηλῶται ηὔστη, καὶ πολλὴν ἐνδείξαθλα τὴν συνάφειαν. ὃ γὰρ τῷ μετέχειν μόνον, καὶ μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐνθελμᾷ κοινωνῆμεν. καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἡνωται τῷ χειρῷ, ὅτως καὶ ὑμεῖς ἀντῷθια τῇ ἀρτῃ τύτῃ ἐνέμεσθε. Hoc est: *Et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Cur non dixit, participatio?* Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare coniunctione m. Non solum enim

enim communicamus, eò quod sumus  
participes & sumimus, sed etiam eò quod  
uniamur. Quemadmodum enim cor-  
pus illud unitur Christo, sic & nos ei per  
panem hunc unimur. Sic editio Pari-  
sensis Tom. 10. f. 533.

En hic S. Pater non docet, 'nos su-  
mendo Evcharistiā corporis & sanguini-  
nis Christi tantummodo per fidem par-  
ticipes fieri; sed aliquā majori ac singu-  
lari unione corpori ac sanguini Christi  
uniri, quam doctrinam suam ex ipsa  
phrasi Apostoli colligit; & sic manife-  
stè apparet, quod hic locus Divi Pauli,  
quò magis perpenditur, eò magis  
ac magis pro nostrâ doctrinâ Catholîcâ  
contra Adversarios pugnet. Certè  
meliori modo unimur Christo, si ip-  
sius Corpus & sanguinem realiter eti-  
am sumimus, quàm si realiter merū pa-  
nem & vinum, corpus autem & san-  
guinem Christi tantummodo per fi-  
dem percipimus.

At forsitan aliquis ad has nostras re-  
sponsiones eludendas obiicit cum  
Stuckio f. 15. id S. Irenæi: *Multa  
malè interpretari coguntur, qui unum*

F 7 recte

recte intelligere non volunt. lib. adv.  
hæreses, ideo propono, quid D. Chrysostomus, ille non tam linguae Græcae,  
quam phrasis Paulinæ peritissimus, sed  
ipsius Apostoli probatissimus inter-  
pres ante 1200. annos etiam de alijs  
duobus prioribus, quæ Stuckius ob-  
servavit, senserit.

Ad primum sic respondet: *Calix*  
*benedictionis*, cui benedicimus, nonne  
*communicatio sanguinis Christi* est? *Val-*  
*de fideliter dixit*, & terribiliter. *Hoc*  
*est autem, quod dicit: id, quod est in ca-*  
*lice, est id, quod fluxit è latere, & illius*  
*sumus participes &c.* *Quamobrem*  
*si sanguinem, inquit, cupis, non a-*  
*rami dolorum brutorum cade, sed me-*  
*um altare meo cruenta sanguine.* *Quid*  
*est hoc horribilius?* *Quid autem ama-*  
*bilius, dic quæso?* *Hoc faciunt etiam,*  
*qui amant.* *Cùm viderint eos, quos a-*  
*mant, aliena concupiscere, & propria de-*  
*spicere, sua dantes persuadent, ut absti-*  
*neant ab ijs, quæ sunt illorum: sed, qui*  
*amant, quidem in possessionibus, pecunijs,*  
*& vestibus suam ostendunt liberalitatem*  
*& magnificentiam, in sanguine autem*  
*nullum*

nullus unquam. Christus autem etiam  
in eo ( id est, sanguine suo) suam nostri  
ostendit curam, & ardentem in nos cha-  
ritatem. Hæc Chrysost. Tom. 10.  
edit. Parisiensis fol. 532. En quid  
hic S. antiquus Pater per poculum  
benedictionis, & consequenter etiam  
per panem Evcharisticum intellexerit?  
En non acquiescit illi, quod Stuckius  
fol. 18. asserit, scilicet genuinum ver-  
borum istorum sensum hunc esse, scil.  
calicem benedictionis, cui benedicimus,  
& panem, quem frangimus, esse Sacra-  
menta & signacula ( seu figuræ ) com-  
munionis sanguinis & corporis Christi,  
eademque in usu legitimo efficacia esse  
Sacramentia, vivasque tesseras nostra  
cum Christo coniunctionis & societas  
arctissimæ: Chrysost. enim expresse di-  
cit. Id, quod est in calice, est id, quod  
effuxit è latere. Addit quoque, quod  
Christus liberalitatem ac magnificen-  
tiam suam in sanguine suo, quemad-  
modum alij in pecunijs & vestibus,  
utique veris ac realibus, ostenderit.  
Ergo non figura sola hujus sanguinis,  
sed ipse sanguis, quem in Evcharistia  
sumi-

sumimus, est illud tam horribile, at si-  
mul tam amabile, quo Christus magni-  
ficentiam ac liberalitatem suam nobis  
ostendit.

Ad secundum sic ait : *Calicem au-*  
*tem benedictionis vocavit, quod eum ha-*  
*bentes in manibus sic eum hymnis & lau-*  
*dibus prosequimur admirantes ineffabi-*  
*le donum, stupentes, benedicentes, bonis-*  
*que verbis prosequentes, quod eum ipsum*  
*effudit, ne maneremus in errore, & non*  
*solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis*  
*impersit. Sic ille loc. cit. Et superius*  
*ad illa : Calix benedictionis, cui benedi-*  
*cimus &c. eadem fusiū explicat, &*  
*dicit, per benedictionem à Paulo ex-*  
*plicari omnem thesaurum Dei bene-*  
*ficien̄iae, & magna illa dona, quæ, tra-*  
*ctando Eucharistiam, in memoriam*  
*revocantur. Quare non nos, qui anti-*  
*quorum SS. Patrum vestigijs inhære-*  
*mus ; sed ipsi Adversarij hæc & multa*  
*alia male interpretari cogentur,*  
*si ea recte intelligere*  
*non volent.*

C A

C A P U T V I .  
R E F E L L I T V R VI . A R -  
gumentum.

**O** Bijcies VI. cum Stuckio, qui contra nos his verbis insurgit. Cùm Dominus Luc. 24. 39. discipulos de veritate corporis ipsius dubitantes ad sensuum testimonium vocaverit, cur non eòdem nostros vocaremus *aut. dí-  
x&; (id est adversarios) Palpate & vi-  
dere, quoniam sensus omnes conjurat,* post consecrationem verum remanere corpus (*panem dicere voluit*) & verum vinum. Nec sophistica ulla evincent, discipulos Domini vel antiquos Patres de hoc visus, tactus, & gustatus sui objecto tantillum dubitasse. Sic ille fol. 32.

At ne hujus tam plausibilis argumen-  
tum ullo modo metuere videa-  
mur, eam hoc syllogismo manifestio-  
rem facio.

Illud, quod sensus de Eucharistiâ,  
etiam post consecrationem, re-  
nunciant, verum est.  
Sed sensus de Eucharistiâ, etiam  
post

post consecrationem, renunci-  
ant, in eâ verum naturalem pa-  
nem & vinum remanere.

Ergò verum est, in Eucharistiâ, etiâ  
post consecrationem, verū natu-  
ralem panem & vinum remanere.

Minorem hujus syllogismi probat  
ipsa experientia sensuum. Majorem  
supponit Stuckius indubitatem, quia  
( opinione ipsius ) Christus ipse eam  
indubitatem supposuit, dum discipulos  
suos de veritate corporis ipsius dubi-  
tantes ad sensuum testimonium re-  
vocavit, dicens: *Palpate & videte:*  
*quia Spiritus carnem & ossa non habet,*  
*sicut me videtis habere.* Luc 24. 36. Et  
quidem hoc argumentum Christi vi-  
detur Stuckio inniti huic Syllogismo.

Illud, quod sensus de me renunci-  
ant, verum est.

Sed sensus ( scil. tactus & visus ) de  
me renunciant, me habere car-  
nem & ossa, & consequenter me  
non esse purum spiritum, sed ho-  
minem in vero corpore.

Ergò, verum est, me carnem & ossa  
habere, & consequenter me  
non

non esse purum spiritum, sed  
verum hominem in vero cor-  
pore.

Christus hanc Majorem non pro-  
bavit, quia indubitatam censuit (ut pu-  
tat Stuckius) & ideo, pro sola probatio-  
ne Minoris, discipulos ad sensuum te-  
stimonium vocavit dicendo; *Palpate &*  
*videte &c.* Sanè hoc est primo intuitu  
plausible, at si vim ejus benè perscruta-  
tur, valde debile, immo nullum argu-  
mentum.

Respondeo ergo i. & quidem, ut  
latens debilitas, immo & falsitas syllo-  
gisimi à Stuckio objecti melius inno-  
tescat, argumentum retorquo hoc  
syllogismo.

Illud, quod renuntiant sensus, ve-  
rum est,

Sed sensus renuntiabant Tobiae,  
comitem suum non Angelum, sed  
verum hominem esse.

Ergo verum est, comitem Tobiae  
non Angelum, sed verum homi-  
nem fuisse.

Certè Major est ea, quam Stuckius  
indubitatam supponit. Minor patet  
ma-

manifestè ex ipsa historiâ Tobiaz,  
& tamen conclusio, quæ ex his pra-  
missis in formâ deducitur, falsissi-  
ma est. Quidquid ergo Adversarij  
pro solutione hujus syllogismi pro-  
ferent, id ego ( si quid tamen solidi  
afferent ) pro solutione argumenti  
mihi de Eucharistia ab ipsis objecti  
proferam.

Respondeo tamen interim 2. & di-  
co, absolute & universaliter loquen-  
do, Majorem prædictorum syllogis-  
morum falsam esse; nam nos ali-  
quando sensibus falli, experientiâ  
ipsâ constat; sensus enim renunciant,  
Lunam esse alijs stellis majorem, re-  
mos in aqua esse infractos &c. quod  
tamen falsum est. Nonne, quemad-  
modum Tobias, sic & alijs viri etiam  
sancti, quaindiu mero senuum testi-  
monio nitebantur, decepti sunt, pu-  
tando, angelos secum conversantes  
esse veros homines, uti contigit A-  
brahamo Gen. 19. v. 14. Loth. Gen.  
19. v. 1. 10. & 16. Gedeoni, Judic. 6.  
& alijs? Quare Major illa hoc mo-  
do distinguenda est: Illud, quod renun-  
ciant,

ciant sensus, semper verum est, nego Majorem. Illud, quod renunciant sensus, plerumque verum est, & ideo id, quod sensus renuntiant, verum esse, prudenter credendum est, nisi firmius testimonium contrarium evincat, concedo Majorem. & sic datâ (at nondum absolute concessâ) Minore, consequentiam syllogismi æque de Evcharistia, ac de comite Tobiae nego.

Certè Tobias innitendo Majori propositæ, juxta datam à nobis distinctionem, semper, & quidem prudenter credidit, comitem suum esse verū hominem, quamdiu hoc probabatur testimonio sensuum, nec aliud firmiore testimonio constabat. Atverò comite ipso aliud testante dicendo: *Ego sum Raphaël Angelus unus ex septem, qui adstamus ante Dominum: cùm hæc audissent ( ipse & Pater ipsius ) turbatis sunt & trementes ceciderunt super terram in faciem suam Tob. 12.v. 15.16.* En auditio hoc testimonio Tobias credit, comitem suum esse verum Angelum Domini & hâc fide motus ex reverentia cecidit super terram

terram in faciem suam , nec ullam amplius habuit rationem illius, quod sensus tam constanter non solum toto tempore tam longi itineris ; sed etiam adhuc tunc testabantur , dum Comes se non hominem , sed Angelum dicebat. Et quidem non alia de causa hoc fecit Tobias , nisi quia auditio tam fidelis Comitis contrario testimonio, sensibus non amplius prudenter credi posse , censuit , & sic exemplo suo, à nemine improbando, docuit, testimonio sensuum non aliter , nisi juxta datam à nobis distinctionem ac limitationem, prudenter credi posse. Unde syllogismus, cui iple auditio Comitis sui testimonio , innitebatur, erat iste.

Illud, quod renunciant sensus verum esse, prudenter creditur, nisi aliud firmiore testimonio asseratur.

Sed sensus quidem renunciant, hunc Comitem merum esse hominem : at aliud ipsius firmiore testimonio asseritur, scilicet ipsum esse Angelum Raphaëlem.

Ergo

Ergo non amplius prudenter creditur ipsum hominem, sed verè Angelum Raphaëlem esse.

Eodem prorsus modo, dum Stuckius nos ad testimonium sensuum vocat, etiam nos argumentamur.

Illud, quod renunciant sensus, verum esse prudenter creditur, nisi firmiore testimonio aliud asseratur.

Sed sensus quidem, etiam post consecrationem, renunciant, in Eucharistia remanere verum panem & vinum: at firmiore testimonio (scilicet Christi Domini æternæ Veritatis in prima parte proposito & explicato) aliud asseritur, scilicet tunc adesse suum corpus & sanguinem.

Ergo non amplius prudenter creditur, post consecrationem in Eucharistia manere panem & vinum: sed tunc adesse verum Christi corpus & sanguinem.

Cæterum jam supra dixi, me dare, quod sensus, etiam post consecrationem, renunciant, in Eucharistia remanere-

manere verum naturalem panem, ac  
vinum; sat propriè loquendo hanc Mi-  
norem non concedo, quia sensus  
propriè loquendo, non attingunt for-  
mam substancialē, sed tantum acci-  
dentia coloris, odoris, quantitatis &c.  
ut pote sua propria objecta, quæ uti-  
que, etiam post consecrationem, in  
Evcharistia manent. Et ideo sensus  
de solā horum accidentium præsentia  
propriè testari possunt: postmodum  
autem internus sensus & ratio colli-  
git, sub his accidentibus eam for-  
mam, à qua hæc accidentia naturaliter  
exiguntur, præsentem esse. Quod-  
si vero firmiori testimonio asseritur,  
aliam substancialē, quam illam, à qua  
illa accidentia naturaliter exiguntur,  
præsentem esse, prudenter credimus  
huic firmiori testimonio, & sæpe fal-  
lax judicium sensuum reiçimus.

Instabis: Ergo Christus veritatem  
sui corporis non probavit firmo ar-  
gumento, dum discipulis de illâ du-  
bitantibus dixit: *Palpate & videte,*  
*quia spiritus carnem & ossa non habet,*  
*sicut me videtis habere.*? *Luc. 14.39.*

Re-

Respondeo, argumentum Christi, eo sensu ac fine, quo Christus id discipulis suis proponebat, ad ostendendam sui corporis veritatem, optimum & firmissimum fuisse. Argumentum autem Christi non fuit illud, quod Stuckius, juxta supra positum syllogismum, supposuit; sed id, quod juxta prædictam nostram doctrinam hâc syllogisticâ formâ comprehenditur.

Illud, quod renunciant sensus, prudenter creditur, nisi alio firmiore testimonio aliud asseratur.

At sensus visus, & tactus renunciant, me carnem & ossa habere, & consequenter me non purum spiritum, sed verum hominem esse; nec aliud à firmiore testimonio asseritur; imò testimonia maximè authentica & indubitate hoc ipsum sensuum testimonium confirmant, testando me in verò corpore resurrectum &c. Ergo prudenter, imò prudentissimè, & indubitate creditur, me carnem & ossa habere, & sic me

G non

non purum spiritum esse, sed verum hominem in vero corpore resurrexisse.

Majorem, utpote lumine naturae claram, & discipulis ipsis (qui tunc ipsi testimonio sensum valde inhæabant) indubitatam Christus supposedit, & totus fuit, ut Minorem, quo ad utramque partem firmissime probaret.

Et primò quidem, ut probaret pri-  
mam partem (scil. quod sensus visus  
& tactus renuncient, se carnem & os-  
sa habere, & consequenter, se non  
spiritum, sed verum hominem in vero  
corpore esse) illos ad testimonium  
sensuum vocavit, dicendo: Palpate &  
videte, quia spiritus carnem & ossa non  
habet, sicut me videris habere. Et cum pura  
hec dixisset, ostendit eis manus & peda, p[ro]mu-  
Luc. 24. v. 29. 40. Et mox addit Lu- & re-  
cas: Adhuc autem illis non creden- 24.  
tibus, & mirantibus prægaudio, dixit: Prop[ri]etatis  
Habentis hic aliquid, quod manducetur? parte  
At illi obtulerunt ei partem pisces ass[ocia]tes  
& favum mellis. Et cum manducasset suis si-  
coram eis, sumens reliquias dedit eis jore  
v. 41. &c. Sic

Sic cùm Minorem, quo ad primam partem, satis superque probâset, mox processit ad probandam ejusdem secundam partem, scil. non solum à nullo alio firmiore testimonio nō probari aliud, quām sensus testentur; sed hoc ipsum sensuum testimonium ab alijs quoque, & quidem maximè authentics & indubitatis testimonij confirmari. Nam, uti Lucas historiam prosequitur, Dominus mox dixit ad eos: *Hac sunt verba, qua locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobis: quoniam necesse est impleri omnia, qua scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* scil. me post mortem in vero corpore resurrectum. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.* v. 24. &c. En Minorem ex Moysè, & Prophetis, & Psalmis, quo ad alteram partem, probavit, indubitatis utique testimonij, & ideo argumentum ipsius sanè firmissimum fuit, ita ut, Majore & Minore optimè probatis, ipsa

G 2

con-

consequentia, utpote in bonâ formâ  
deducta, prudenter negari minimè  
posset.

Dices: Ergo, ut vera realis præ-  
sentia Corporis & Sanguinis Christi  
in Euccharistia prudenter credatur, ea  
etiam testimonio sensuum probari  
debet, quemadmodum Christus ve-  
ritatem sui corporis post resurrectionem  
testimonio sensuum probavit.

Respondeo, hoc minimè necesse  
esse, quemadmodum non necesse fuit,  
ut Christus veram sui corporis resur-  
rectionem testimonio sensuum pro-  
baret. Nam, quia Christus toties &  
tam clarè discipulis ante mortem  
prædixerat, se moritum, at triduo  
post mortem verè resurrectum.  
Matth. 12. v. 40. Marc. 8. 31. & cap.  
9. 31. Luc. 1. 33. c. 18. 33. Joan. 2. 19.  
Imò, quia hæc quoq; vaticinia sua tot,  
tantisque signis confirmaverat, & re-  
surrectionem suam non modò per  
Angelum mulieribus pijs & fide di-  
gnis, & per has ipsis discipulis annun-  
ciaverat, sed & ipse quibusdam appa-  
ruerat, tunc alij discipuli veritatem  
veræ

veræ resurrectionis ipsius prudenter  
credere & potuissent, & debuissent,  
ita ut testimonium sensuum non ab-  
solute necessarium, sed ipsis discipulis  
tanquam tardis ad credendum, magis  
congruum fuerit, tum ut ipsi firmius  
crederent, tum ut postmodum ad ma-  
gis firmandam incredulorum fidem  
dicere possent: *Hunc Deus suscita-  
vit tertia die, & dedit eum manife-  
stum fieri non omni populo (en, an, &  
quibus testimonium sensuum debe-  
batur) sed testibus praordinatis a Deo,*  
*nobis, qui manducavimus, & bibimus*  
*cum illo, postquam resurrexit a mortuis.*  
A&t. 10. v. 40. Sanè nos, quemadmo-  
dum & plurimi eorum, qui hæc au-  
dierunt, resurrectionem credimus, &  
quidem absque ullo testimonio sen-  
suum; cur ergo non etiam pruden-  
tissime credamus ob tam firma in  
part. I. allata testimonia, verum  
corpus Domini in Eucharistia realiter  
adesse, etiamsi nobis sensuum testi-  
monium deficiat? Christus Thomam,  
qui absque testimonio sensuum cre-  
dere nolebat, non laudavit, sed tan-

G 3

quam

quam incredulum increpavit dicens:  
*Noli esse incredulus, sed fidelis.* Ioan.  
 20. 27. Immò addidit: *Quia vidissi  
 me, Thoma, credidisti: Beati qui non  
 viderunt & crediderunt.* v. 29. Ca-  
 veant ergo illi, qui tam pertinaciter  
 testimonium sensuum expetunt, ne &  
 ipsi à Domino, ob hoc ipsum, incredu-  
 litatis arguantur, ipsisque illi præfe-  
 rantur, qui non viderunt, & credide-  
 runt testimonio Domini.

Ex his patet, quām falsum sit id,  
 quod Stuckius addidit: *Nec Sophi-  
 stica ulla evincent, discipulos Domini,  
 vel antiquos Parres de hoc visūs, tactūs  
 & gustatūs sui objecto tantillum dubi-  
 rasse.* Evincant Adversarij, ullum di-  
 scipulum Domini, cùm viderent, quōd  
 Dominus accepit panem & benedi-  
 xit, ac fregit, deditque sibi discipulis  
 suis, dicens, *Accipite & comedite: Hoc  
 est corpus meum,* &c. Matth. 26. v. 26. de  
 hac ejus clarā assertione tantillum  
 dubitasse, aut, juxta sensuum testi-  
 monium, aliud sensisse. Vel si hæc  
 Christi verba aliter, quām ipsa sonant,  
 ipsis intellexerunt, & ab alijs intel-  
 ligen-

ligenda esse censuerunt, cur nec unus quidem Evangelista, vel unico verbo, indicavit, hæc Christi verba aliter, ac sonant, intelligenda esse, quemadmodum inter alios S. Johannes fecit, qui dum referret, Dominum dixisse Judæis : *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* c. 2. v. 19. addidit : *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* v. 21. Cur, inquam, nec unus Evangelista verbis Christi de Eucharistia addidit : *Hoc autem intelligebat, vel dicebat de pane, ut poteris figura ac tessera corporis sui;* maximè cum ipsi verba de calice variè referrent? Imò cum priùs turbarentur, quando audierunt ipsum dicentem : *Caro mea verè est cibus, & Sanguis mens verè est potus &c.* Joan. 6. v. 55. Et dicent: *Durus est hic sermo,* v. 60. cur nullus refertur turbatus, dum Christus, accepto pane, dicebat: *Hoc est corpus meum?* Causam affert D. Chrysol. Hom. 83. in Math. *Quia multa jam & magna de hoc ante differuit.* To. 7. edit. Paris. fol. 699. A.

G 4

An

An & antiqui Patres de hoc visus,  
taetus, & gustatus sui objecto tantil-  
lum dubitaverint, ex alijs unum, aut  
alterum afferam. S. Cyrillus catech.  
4. ait: *Hoc sciens, & pro certissimo  
habens, panem bunc, qui videtur à no-  
bis, non esse panem, etiam si gustus, pa-  
nem esse, sentiat: sed esse corpus Christi:  
& vinum, quod à nobis conspicitur, tam-  
etsi sensui gustus vinum esse videatur,  
non tamen vinum, sed sanguinem esse  
Christi. Sic ille.*

Et S. Chrysost. hom. 83. in Matth.  
Credamus, ait, ubique Deo, nec repug-  
nemus ei, etiam si sensui & cogitationi  
nostræ absurdum esse videatur, quod di-  
cit. Superet & sensum & rationem  
nostram sermo ipsius: quod in omni-  
bus, & præcipue in mysterijs faciamus,  
non illa, quæ ante nos jacent, solummodo  
afficienes, sed verba quoque ejus tenen-  
tes. Nam verbis ejus defraudari non  
possimus: sensus verò noster deceptu fa-  
cillimus est: illa falsa esse non possunt,  
hic sapius, atque sapius fallitur. Quo-  
niam ergò ille dixit: *Hoc est corpus  
meum, nulla reneamur ambiguitate, sed  
creda-*

credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Sic ille, Tom. 7. Edit. Paris. f. 703. En, quam manifeste antiqui SS. Patres ne tantillum quidem dubitaverint, sed aperte docuerint, in Evcharistia nullam visum, tactum, & gustum testimonij rationem habendum, sed claris Christi verbis credendum esse. Certè Apostolus ipse ait, *Est fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.* Hebr. 11. 1. Et S. August. *Fides est credere, quod nou vides.* Tract. 27. in Joan.

## C A P U T VII.

### *EXPLODITUR VII. AR- gumentum.*

**O**bijcies VII. cum Stuckio pag. 21. & 22. *Mutatio illi* (scilicet panis in corpus Christi &c.) non tantum panem & vinum, sed ipsum etiam Christi corpus & sanguinem ex Evcharistia tollit: panis enim & vinum non in corpus & sanguinem Christi; sed in specie quædam, spirituum mentientia proprietates, conversuntur: Sic ille.

G 5

Et

Et quidem, quia hoc argumentum invictissimum putat, id ipse me hāc formā Syllogisticā proponit.

Sic argumentamur, ait,

Quod totum est in qualibet parte, id spiritus est:

At corpus Christi in cœnâ existens totum est in qualibet parte:

Ergo spiritus est.

Majorem quasi indubitatam ipse supponit: quia totum esse in qualibet parte proprietas spiritū est. Ut autem probet Minorem, adducit Bellarminum, qui lib. 1. de Evchar. ait. Non habet Christus in Eucharistiā modum existendi corporum, sed potius spirituum, cum sit totus in qualibet parte &c. Hinc ( ait Stuckius ) adeò ipse Thomas agnoscit, distantiam partium corporis organici, ut oculi ab oculo, & oculi ab aure, esse quidem in corpore Christi vero, sed non in corpore Christi, ut est in Sacramento. in 3.p.q.76.art.3. Unde colligitur, addit Stuck. verum Christi corpus in Sacramento nequam esse: Habeant ergo sibi corpus non corpus, quod ipse Thomas verum

rum esse Christi corpus dicere non  
est ausus. Cur nos, infinitâ Dei po-  
tentia & gratia freti, in corpore Chri-  
sti vero, verâ fide apprehenso non  
acquiesceremus? Hæc satis plausibi-  
liter Stückius fol. 22.

Respondeo & quidem primò, ut  
hujus Achillis debilitas, immò & fal-  
sitas magis appareat, sequentes simi-  
les syllogismos oppono.

Quod incedit super aquas, & non  
mergitur, id spiritus est:

At Christus incedit super aquas, &  
non mergitur.

Ergò spiritus est.

Ita secum argumentabantur disci-  
puli Math 14. 26. Majorem ut indu-  
bitatam supponendo, quia super  
aquas incedere, & non mergi est pro-  
prietas spiritus. Minor patebat te-  
stimonio sensuum, quia venit ad eos  
ambulans super mare. vers. 25. Unde  
concludebant, Ergò phantasma est. v.  
26. At Christus, fallum esse illorum  
argumentum, detexit dicens: Ego  
sum, nolite timere. v. 27.

Secundum similem syllogismum  
hunc oppono.

Quod januis clausis in cænaculum  
ingreditur, id spiritus est.

At Christus clausis januis ingredi-  
tur in cænaculum :

Ergò Spiritus est.

Ita raciocinabantur discipuli Luc.

24. Et quidem Majorem etiam indu-  
bitatè veram supponebant, quia janu-  
is clausis in cænaculum ingredi est  
qualitas spirituum. Minorem ipsa  
quoque experientia sensum testa-  
batur, quia Christus ad eos ingressus  
est, cùm fore essent clausæ. Joan. 20.  
v. 19. Hinc conterriti existimabant se  
spiritum videre. Luc. 24. 37. Quod au-  
tem discipuli etiam tunc male argu-  
mentarentur, ostendit Christus di-  
cens : *Videte manus meas & pedes,  
quia ego ipse sum : palpate & videte,  
quia spiritus carnem & ossa non habet,  
sicut me videsis habere.* Luc. 24. v.  
39.

Tertium hunc oppono syllogis-  
mum.

Quod in medio fornacis ignis ar-  
dentis

*dentis est, & non aduritur, id  
non habet verum corpus huma-  
num.*

Sed tres Hebrei fuerunt in medio  
fornacis ignis ardentis, & non  
adusti sunt.

Ergò illi tres Hebræi non habuerunt vera corpora humana.

Major supponi posset indubitata,  
quia in medio ignis esse, & non aduri,  
non est proprietas corporis humani;  
sed è contra, proprietas ejus est in  
igne aduri. Minorem, quoad primam  
partem, testatur sacer Textus dicens:  
*Missi sunt in medium fornacis ignis ar-  
dentis.* Dan. 3. v. 21. Quoad secun-  
dam verò partem ait: *Satrapa, & ma-  
gistratus, & judices, & potentes Regis  
contemplabantur viros illos, quoniam  
nihil potestatis habuisset ignis in corpo-  
ribus eorum &c.* v. 94. Nihilominus  
satrapæ illi non tam insipientes fue-  
runt, ut hinc deducerent, illos He-  
bræos non veros homines esse: sed  
& ipse Rex benedixit Deum, qui ser-  
uos suos in igne conservavit. v. 95,

**Quid ad hæc respondebunt adver-**

**G 7** farij,

sarij, ut non simul Achillem Stuckij  
profagent?

Respondeo secundò directè, & di-  
co: Majores omnium prædictorum  
syllogismorum, & sic etiam illam  
Stuckij, esse falsas; & hinc non mi-  
rum esse, quod ex illis deducantur  
conclusiones falsæ. Falsitas autē in eo  
consistit, quod Majores illæ ex absen-  
tiā qualitatis rei alicui naturaliter  
debitæ, vel ex præsentia qualitatis  
rei alicui naturaliter indebitæ argu-  
ant, rem illam, etiam secundum es-  
sentiā substantialem, esse aliam,  
cū tamen alia non sit. Sic incedere  
super aquas & non mergi: in medio ig-  
nis esse & non aduri &c. sunt qualita-  
tes naturaliter quidem corporibus  
humanis indebitæ: at non implicat,  
corpus humanum hujusmodi qualita-  
tes sibi naturaliter indebitas, super-  
naturali virtute, accipere. Quare, si  
eas accipit, minimè ex hoc deduci-  
tur, corpus illud, quo ad ipsam sub-  
stantialem essentiam, non remanere  
verum corpus. Eodem modo, esse to-  
tum in qualibet parte; Non habere  
actua-

Achillen  
actualem extensionem &c. est quidem  
qualitas non corporibus, sed spiriti-  
bus naturaliter debita. At vero,  
quid implicat, corpus Christi divinâ  
virtute qualitatem extensionis acti-  
væ sibi naturaliter debitam amitte-  
re, & ejus loco accipere qualitatem  
naturaliter sibi quidem indebitam,  
at supernaturaliter non impossibili-  
lem (qua scil. totum sit in qualibet  
parte) & tamen, quoad essentiam sub-  
stantialem, verum corpus permane-  
at? Falsissimum ergo est, quod Stu-  
kius ex falsâ Majore deducere niti-  
tur, nempe ex eo, quod corpus Chri-  
sti dicatur esse totum in qualibet par-  
te Eucharistia, verum Christi Corpus  
in sacramento neutiquam esse.

Quod ad D. Thomam attinet, dico  
falsum esse, quod Stuckius de eo tam  
audacter asserit, scil. ipsum non esse  
ausum dicere, quod in Eucharistia sit  
verum Christi Corpus. Nam licet  
per verum Corpus, loc. cit. intelligat  
Corpus Christi, quod in cœlo, inter  
alias qualitates corporibus naturali-  
ter debitas, etiam extensionem actua-  
lem

lem partium corporis organici habet: attamen verum Christi Corpus, quoad substantiam essentiale, in Evcharistia esse, non tantum non est veritus dicere, sed hoc apertissime dicit, & solidè probat in eadem 3. parte, quæst. 75. per. 8. articulos. Imo verba illa, quæ Stuckius ( & qui-dem alio charaktere, quasi essent ipsissima verba S. Thomæ) afferit, non sunt S. Thomæ, sed hæc sequentia.  
*Ad secundum dicendum*, ait, quod illa determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitate dimensiva ipsius: ipsa autem natura substantiae præcedit etiam quantitatem dimensivam. Et ideo, quia conversio substantiae panis directè terminatur ad substantiam Corporis Christi, secundum cuius modum propriè & directè est in hoc Sacramento Corpus Christi, talis distantia partium est quidem in ipso Corpore Christi vero: (nempè in illo, quod est in cælo cum quantitate dimensivâ) sed non secundum hanc substantiam comparatur ad hoc Sacramentum, sed secundum modum sue substan-

*stantia, sicut dictum est in cor. ar. & a.  
1. ad 3.*

En S. Doctor manifestè docet, veram substantiam Corporis Christi (& consequenter quo ad substantiam, ipsum verum Corpus Christi) in Sacramento verè adesse, et si non ad sit secundùm determinatam illam distanciam partium, quæ est qualitas Corpori organico naturaliter debita (uti supradixi) ita tamen, ut divinâ virtute tolli possit, absque eo, quod ipsa substantia corporis corrūpatur.

At verò, ne quis dicat, hæc esse figmenta non à Patribus tradita, sed à novis Doctoribus excogitata, ut doctrinam suam de Eucharistiâ defendant, ideo audiatur, quid magnum illud Ecclesiæ lumen S. Augustinus jam olim in simili materia docuerit.

Quærebat ab iplo Consentius:

*Utrum nunc Corpus Domini (in Cælo) ossa & sanguinem habeat, aut reliqua carnis delineamenta?* Huic respondet D. August. Ep. 146. *Et quid adderes, inquit, utrum etiam vestimenta?* Nonne augeretur questio?

*Quâ*

Quâ causâ, nisi quia ea, qua in usu vi-  
 ta hujus nostræ corruptibilia novimus,  
 sine corruptione cogitare vix possumus,  
 cùm Divinorum Miraculorum quadam  
 documenta data sint, ex quibus liceat  
 conjectare majora? En unde difficul-  
 tas credendi divina mysteria oriatur:  
 quia corruptibilia sine corruptione (&  
 sic etiam alias res sine qualitatibus in  
 usu vitæ hujus nostræ naturaliter sibi  
 debit) cogitare vix possumus. Mox  
 addit August. Nam si vestis Israëli-  
 rum per tot annos in Eremo sine tritura  
 esse potuit, si morticina pellis calceamen-  
 torum tam diu sine labe duravit, potest  
 ubique Deus quorumlibet Corporum,  
 (hæc bene nota) per quantum volue-  
 rit tempus, incorruptam pretendere  
 qualitatem, &c. Et paulò post hisce  
 hunc discursum prosequitur. Ex con-  
 suetudine rerum expertarum, inexperta  
 opera divina, infirmitas metitur huma-  
 na, & argutule se garrire arbitratur,  
 cùm dicit: Si caro est, & sanguis est:  
 si sanguis, & cateri humores; ergo &  
 corruptio. Eo modo diceret: Si flam-  
 ma est, & ardet: si ardet, & urit: si  
 urit;

urit, ergo virorum trium in fornacem  
 ignis ab impio Rege missorum corpora  
 incendit. Si autem hoc in tribus viris  
 miraculum factum esse non dubitas  
 quisquis de divinis operibus recte sapit,  
 cur non creditur, qui fecit, illa corpora  
 non posse igne corrumpi, fecisse illud cor-  
 pus nec igne, nec fame, nec morbo, nec  
 senio, nec ulla vi alia, qua solet humana  
 corpora labefactare corruptio? Quod  
 si quisquam dicit, non carni trium illo-  
 rum virorum additam contra ignem  
 incorruptionem, sed ipsi igni detractam  
 corrumpendi facultatem, quid vere-  
 mur, ne carnem facere nequiverit non  
 posse corrumpi, qui fecit ignem non  
 posse corrumpere? Nam si illud non de  
 carnis, sed de ignis mutatione intelli-  
 tur, multò est mirabilius: simul enim  
 & hominum corpora non urebat, ne pos-  
 set nocere, & ligna fornacis urebat, ne  
 posset ardere. Sed qui etiam ista non  
 credunt, nimium de divinā potestate  
 diffidunt, nec cum eis, vel ad eos nunc  
 sermo nobis est. Qui autem ista cre-  
 dunt, ex his etiam illa uicunque coni-  
 gant, quæ fideliter quarunt. Valet igi-  
 tur

tur divina potentia de ista visibili, atque  
 iractabili naturâ corporum, quibusdam  
 manentibus, auferre, quas voluerit  
 (etiam hæc bene nota) qualitates:  
 ac per hoc valet etiam membra morta-  
 lia formæ, lineamentis manentibus, cor-  
 ruptione vero mortalitatis emortuâ,  
 stabili vigore firmare: ut ab sit labes,  
 ad sit effigies: ad sit motio, ab sit fatiga-  
 tio: ad sit vescendi potestas, ab sit esu-  
 riendi necessias. Hæc August. En,  
 quām doctè docet hic S. Doctor,  
 Deum posse de naturâ corporum, qui-  
 busdam manentibus (& manente eâ-  
 dem substantiâ) auferre tamen, quas  
 voluerit, qualitates. Cur non & alias,  
 quas, voluerit qualitates, et si natura-  
 liter corpori illi indebitas, addere,  
 & sic efficere posse, ut corpus suum,  
 ablatâ extensione actuali, in Eucha-  
 ristia verum sit corpus, et si habeat  
 qualitatem existendi totum in qua-  
 libet parte? Verè qui etiam ista non  
 credunt, nimium de divina potestate  
 diffidunt.

CAPUT VIII,  
**FATUITAS ARGUMENTI**  
 VIII. OSTEN-  
 ditur.

O Bijcies ex Stuckio pag. 29. &  
 ex Thesi. 4. argumentum ;  
 quod hoc syllogismo nititur.

Quod sustinet analogiam Eucha-  
 risticam, id debet in Sacramen-  
 to præsens existere.

Sed substantia panis, non autem  
 accidentia, sustinet analogiam  
 Eucharisticam.

Ergo substantia panis debet in Sa-  
 craimento præsens existere.

Majorem, quam ipse in terminis  
 posuit, probat, quia si præsens non est,  
 sed interit, officium illud tueri non po-  
 test. Minorem supponit verissimam,  
 quia accidentia panis absque pane (uri  
 ait, fol. 28.) non in Eucharistiâ sunt, sed  
 in cerebro Parochi volitant, & sic nec  
 nutrunt, nec analogiam Eucharisti-  
 cam sustinent, qua quatuor terminis,  
 ac totidem veluti rotis constat. Sicut  
 enim panis & vinum corpus nutrunt,  
 ait

*ita caro & sanguis Christi animam  
reficiunt.* Hæc ille. fol. 27.

Respondeo primò retorquendo  
argumentum hoc syllogismo.

Quod sustinet analogiam Eucha-  
risticam, id debet in Sacramen-  
to præsens existere.

Sed Corpus Christi sustinet ana-  
logiam Eucharistica.

Ergo Corpus Christi debet in sa-  
cramento præsens existere.

Maiores ipse Stuckius posuit, imò  
& Minorem, dum dixit, quod caro &  
sanguis Christi sint ex ijs quatuor ter-  
minis, ac totidem veluti rotis, qui-  
bus analogia Eucharistica constat.  
Quid ergo diceret, vel ipsius Discipuli  
dicent de nostrâ conclusione, quam  
argumentum in formâ bene deducit?  
Stuckius vim retorsioñ hujus jam  
olim à nobis datæ advertit, & ideo ut  
eam effugeret, hisce sibi met ipsi con-  
tradixit. Parochi retorsio, ait pag. 30.  
nobiscum non pugnat, quia hoc ipsum,  
quod concludit, aperte profitemur, in  
Sacramento nempe corpus Christi aquâ  
realiter esse, ac signum & rem terrenam  
(in-

(intelligit ipse panem & vinum) quia Corpus Christi fide percipitur. Quod autem fide percipitur, id realiter percipitur, quia fides non est opinio quedam inanis, sed ἐλπὶς οὐμένων πόσας, πειραγμάτων ἔλεγχος μὴ βλεπομένων: fides facit, ut extent, qua sperantur, & demonstrat, qua non videntur. Quidni ergo fides corpus & sanguinem Christi præsentissima nobis statuat? Hæc Stuckius.

Eadem confirmari putat illis verbis S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdot. à nobis jam supra fol. 97. &c. fusiūs examinatis, quibus hic S. Pater Stuckio videtur docere, quod Christum in throno Patris sedentem non aliter, quam oculis fidei in Sacramento percipiamus.

Sanè miror, doctum virum in tam paucis verbis, quibus retorsionem nostram effugere tentat, tam impertinentia, ac tam dissona afferre. Ipse optimè sentit vim nostræ retorsionis, nempe eo ipso argumento ex analogia desumpto (quo ipse contra nos utitur, ut evincat, panem & vi-

num

num debere in sacramento realiter  
præsens existere) etiam contra ipsum  
evinci, corpus quoque Christi debe-  
re in sacramento realiter præsens  
existere; quare ne videatur retor-  
sioni succumbere, coactus unum ex  
duobus fateri, scil. vel argumentum  
suum contra nos propositum esse nul-  
lum; vel corpus Christi æque ac pa-  
nem & vinum, seu signum & rem  
terrenam in sacramento realiter  
præsens existere: hoc secundum e-  
ligit & apertè profitetur. At verò,  
ne videatur eandem realem corpo-  
ris Christi præsentiam, quam nos  
profitemur, nostraque retorsio evin-  
cit, coactus in sacramento profi-  
teri, novam quandam realem præ-  
sentiam fingit, quæ hoc ipso realis  
non est, quia reali præsentia contra-  
ria est. Ait enim, corpus Christi in  
sacramento æque realiter adesse, ac  
signum & rem terrenam, quia corpus  
Christi, inquit, fide percipitur: quod  
autem fide percipitur, id realiter per-  
cipitur, quia fides non est opinio quædam  
inanis. &c.

Certe

Certè ultrò concedimus, fidem non esse opinionem quandam inanem, sed assensum firmissimum, qui divino testimonio innexus firmissime suo objecto adhæret. At hinc minime sequitur, id, quod fide percipitur, realiter percipi. Unde etiam falsissimum est, quod exclamat ibidem Stuckius, nempe quod fides corpus & sanguinem Christi præsentissima nobis statuat. Nam ex eo, quod aliquid fide percipitur, à fide non aliter, quam objectivè tantum existens statuitur: & ideo corpus & sanguis Christi, dum fide percipiuntur, non statuuntur in sacramento præsentissima, sed tantum objectivè in intellectu credentium existentia.

Cæterum, si fides objecta sua præsentissima nobis statueret, sequeretur quod SS. Patres, cum ipsi ab origine mundi crediderint Incarnationem Christi, & consequenter Christum fide percepient, ipsum jam ab origine mundi realiter sibi præsentissimum habuissent. Quod si hoc conceditur: ergo Christus in mundo realiter, (&

H qui-

quidem & quæ ac nunc in sacramento  
realiter per Stuckium existit & præ-  
sens est signum & res terrena) exis-  
tebat, & realiter præsens erat, ante-  
quam conciperetur: imo antequam  
ipsius Mater existeret. En quanta ab-  
surdâ fateri ille cogatur, qui unum  
male configit!

Etiam hoc addo. Si ea, quæ fide  
percipiuntur, realiter præsentissima  
statuuntur, ergo omnia bona promis-  
sa, quæ credimus, & fide percipi-  
mus, sunt realiter nobis præsentissi-  
ma, & consequenter fideli nil erit fu-  
turum de ijs, quæ Deus promisit di-  
ligentibus se; sed omnia erunt præ-  
sentissima & ante pedes posita. Cur  
ergo scriptura fidelibus pene uni-  
versa promittit, non jam realiter  
præsentia, sed futura, dicendo: Bea-  
ti mites: quoniam ipsi possidebunt ter-  
ram. Beati qui lugent: quoniam ipsi  
consolabuntur. Matth. 5. v. 5. Cur air  
Paulus de antiquis SS. Patribus: Iux-  
ta fidem defuncti sunt omnes isti, non  
acceptis repromotionibus: sed à longe  
eas aspicientes. Hebræor. 11. v. 13?

Certe

Certè non aliâ de causâ, nisi quia promissiones illas, seu bona illa promissa percipiebat fide quidem; at fides non statuebat ea ipsis realiter præsentissima, sed tantum objectivè: unde erant eas aspicientes, non tanquam ipsis præsentissima, sed uti Paulus loquitur: *à longè.*

Quin etiam Stuckius virtutem spei enervat: si enim per fidem ea, quæ futura sunt, redduntur realiter præsentia, tunc desinit esse spes. Si quidem hæc non de præsentibus rebus, sed de futuris est. Unde Paulus ait: *Spes autem, qua videtur, non est spes: nam quod videt quis; quid sperat? Si autem, quod non videamus, speramus: per patientiam exspectamus. Rom. 8.24. & 25. En exspectamus, nempe usq; dum id, quod speramus, realiter nobis præfens adveniat.*

Hinc patet, illum locum Pauli Heb. 11.v.1. quem Stuckius ex Græco textu attulit, vel non bene redditum, vel male interpretatum fuisse. Certè utrumque contigit, & male redditus est, & male explicatus. Nam sic sin-

H 2                   cerè

cerè reddendus est: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Explicatio autem hæc est: *Fides eas res, quæ sperantur, & nondum existunt, facit subsistere in intellectu, & quasi presentia cerni, id est, tam certas in animo haberis, ac si jam de facto existerent: ipsique fides convincit etiam intellectum, ad eas res, quæ non videntur, firmissime credendas, perinde acsi eas coram nobis cerneremus.* Unde Syrus hunc tex-  
tum Apostoli ita vertit: *Fides est per-  
suasio & certitudo de iis rebus, quæ sunt  
in spe, acsi jam existerent actu.*

Stat ergò retorsio nostra: contra autem corruit syllogismus ille, quem ipse Stuckius hisce obiicit. fol. 21.

*Cuius substantia absque Eucharistie interitu mutari nequit, id datum discipulis in priori substantia per severans.*

*Atqui panis substantia absque Eucha-  
ristie interitu mutari nequit.*

*Ergo panis datus fuit in priori sub-  
stantia perseverans.*

*Nego enim Minorem, & dico,  
Eucha-*

Eucharistiam non perire, etiamsi invisibilis substantia panis (hanc enim perire dicimus) mutetur. Quamdiu enim ea, quæ corporalem nutritionem sensibiliter indicant, (uti sunt species visibles & palpabiles, seu accidentia, sive adsit, sive absit substantia ex se invisibilis) permanent, nec analogia requisita, & consequenter nec Eucharistia, interit.

Nam quæro ab Adversarijs, si ad sustinendam analogiam Eucharistiam sufficit, ut corpus Christi objectivè tantum, quatenus fide percipitur, in Sacramento adsit, cur talis præsentia objectiva substantiæ panis, quæ exhibetur per omnes species æquè ac prius permanentes, ad analogiam hanc non sufficiat, cum æquè corpus Christi, ac panis sit unus ex ijs quatuor terminis ac totidem veluti rotis, quibus analogia Eucharistica constat? Si sufficit, corpus Christi adesse per suum signum, cur non sufficiat panem adesse per suas species, seu accidentia?

Dices cum Stuckio, accidentia, seu  
H 3 spc-

species à pane separatas nihil heic habere, quod agant, res ipsa loquitur, quia non entium ( ait fol. 31. ) nulla sunt accidentia, actiones, & passiones nullæ. Quibus species illa separata ad tuendam analogiam Eucharisticam idonea videntur, digni profectò sunt, qui meritis non entibus pascuntur.

Miror sanè, Theologum in rem gravi non modo astutè æquivocare in voce accidentia, sed etiam tam frivolè nugari. Lubens concedo, non entium nulla esse accidentia, id est, nihil esse, quod entibus, quæ realiter non sunt, accidat eo modo, quo videmus entibus existentibus diversa diverso modo accidere. Et hoc modo non entia utique nullas habent actiones, & passiones. At nego, non entium nulla esse accidentia, id est, nullas qualitates, seu species in substantijs prius existentibus productas (substantijs postmodum intereunitibus) permanere, et si non naturaliter, faltem divinâ virtute conservatas. Si enim Deus qualitates, seu accidentia hujusmodi prius conservat naturaliter,

ter, mediante ipsarum substantiâ: cur tam debilis virtutis sit, ut ipse, hac mediante conservare illa nō possit intereunte substantiâ? Cùm ipse res eas, quæ non sunt, ex nihilo producat, cur qualitates, quæ jam sunt (quas, quot, quando, & quamdiu voluerit) etiam absque suo naturali subiecto conservare non possit? Relege discursum S. Augustini supra fol. 161.

Respondeo secundò directe ad principalem objectum syllogismum, & nego Majorem, scil. quod id, quod sustinet analogiam Eucharisticam, debet in Sacramento realiter præsens adesse. Nam, ut alia taceam, victoribus in Olympicis datam fuisse palmeam coronam, tradit Pausanias in Arcadicis fol. 119. Et Plutarchus in Theseo ait, Viatores ab eo tunc primùm palmæ ramis donatos. Et quidem hoc fiebat ob aliquam veram analogiam quæ est inter victorem & palmam, nempe: *Sicut palma est arbor ejus indolis, ut urgentibus, opprimentibusque non cedat, sed fortius assurgat: ita viator evasit suis adversariis superior.*

H 4

En

**E**n palma & victor sunt duo præcipua, quæ hanc analogiam sustinent: ad hanc autem sustinendam non opus est, ut victor integrum arborem palmæ vel capite vel manu gestet, sed sufficit unicus ramus à palma decissus, qui loco totius palmæ prædictam analogiam insinuet. Joannes quoque vidit Apoc. 7. v. 9. innumerabilem turbam manibus gestare palmarum ramos, ad denotandam invictæ fortitudinis analogiam. Sic etiam Romanus Imperator utitur piñâ vel Sculptâ aquilâ cum istâ analogiâ: *Sicut vivens aquila imperio & virtute alias aves antecellit, ita Cæsar imperio & virtute alios Principes antecellit.* En ad hanc analogiam sustinendam, quæ est inter aquilam vivam & Cæsarem, sufficit, loco vivæ aquilæ, ejus imago. Cur ergo in Eucharistia ad sustinendam analogiam inter panem & corpus Christi, non sufficiant, loco substantiæ panis, ejusdem vera accidentia, naturam panis non minus sensibus exhibentia, quam rainus palam

mam totam , & aquila pieta vivam  
aquilam repræsentat ?

Ex his collige, cur hoc argumen-  
tum adversariorum ( quo tamen sibi  
valde applaudunt ) in titulo vocārim  
fatuum, nempe, quia illo nihil omni-  
no contra nostram, sed potius (& qui-  
dem non modica ) contra suam do-  
ctrinam evincunt, & sic proprio gla-  
dio se jugulant. Sanè si quid evincit  
hoc argumentum, non aliud evincit,  
quam id, quod Lutherani docent, ipsi  
autem Calvinistæ negant, scil. in Sa-  
cramento non tantum realiter ades-  
se panem & vinum, sed simul etiam  
corpus & sanguinem Christi, cùm  
corpus & sanguis Christi æque susti-  
neant analogiam, ac panis & vinum.  
Videant ipsi, qui hoc argumentum  
verum supponunt, quid Lutheranis  
respondeant. Nos præsentiam realem  
corporis & sanguinis Christi in Evcha-  
ristia, non hoc fatuo & fallo argu-  
mento evincimus, sed irrefragabili  
Christi testimonio dicentis: *Hoc est*  
*Corpus meum, &c.*

H s CA-

## CAPUT X.

*EXAMINANTUR LOCA  
EX SS. PATRIBUS  
contranos producta.*

**O** Bijces X. cum Stuckio fol. 31.  
& 32. ubi ait:

Patres hoc ipsum clarissimis docent verbis, puta, substantiam panis ac vini in Sacramento permanere. Theodoretus Dialogo I. Voluisse Dominum, inquit, Sacramentis utentes non inten-  
tos esse in naturam eorum, sed per nomi-  
num mutationem credere ei, qua ex gratia facta est, mutationi. Qui enim naturale corpus triticum, & panem ap-  
pellavit, & rursus seipsum vitem nomi-  
navit, is visibilia symbola corporis &  
sanguinis appellatione honoravit, non  
naturam mutans, sed gratiam natura  
adisciens.

Idem Dial. 2. *Mystica symbola post sanctificationem nequaquam propriam amittunt naturam: manent enim in priori substantia, & figurâ, & specie, & videri, tangique possunt, qualia etiam prius erant.* Sic Macarius Ægyptius Hom.

Hom. 2  
vimum  
Christi  
punct  
edunt  
bus n  
esse su  
& ce  
& sang  
rum c  
cent,  
accep  
nis no  
ra ad  
Stuck.  
Jam  
adduxi  
inquit,  
sus hæ  
percip  
non c  
ristia  
na, &  
que, l  
Qu  
Ephra  
theca

Hom. 27. In Ecclesia offertur panis &  
vinum, antitypum carnis & sanguinis  
Christi: & qui de pane visibili acci-  
piunt, spiritualiter carnem Domini  
edunt. Sic Gelasius in libro de dua-  
bus naturis in Christo. Non desinit  
esse substantia vel natura panis & vini:  
& certe imago & similitudo corporis  
& sanguinis Christi in actione mysterio-  
rum celebratur. Sic passim alij do-  
cent, corpus Christi, quod à fidelibus  
accipitur, substantiam sensibilem pa-  
nis non excludere. In tantâ luce plu-  
ra adducere non est opus. Hæc  
Stuck. loc. cit.

Jam prius fol. 29. in hunc finem  
adduxit Irenæum, &: Pulchrum est,  
inquit, Irenæi monitum lib. 4. adver-  
sus hæreses: Qui est à terrâ panis,  
percipiens vocationem divinam, jam  
non communis panis est, sed Eucha-  
ristia, duabus rebus constans, terre-  
nâ, & cælesti, non intereuntibus uti-  
que, sed permanentibus. Hæc Stuck.

Quin imò fol. 21. affert locum D.  
Ephræmi apud Photium in Biblio-  
theca cap. 229. p. 415. *Corpus Chri-*

*H 6      sti,*

sti, inquit, quod à fidelibus accipitur, substantiam visibilem, panis videlicet, non amittit, sed à gratia sub intelligentiam cadente inseperatum manet. Baptismus quin etiam, et si totus spiritualis sit factus, & unus existat, proprietatem substantia sensibilis, aquae nimurum, servat, & quod fuit, esse non desinit.

Respondeo I. Verba SS. Patrum non admundum fideliter à Stuckio adduci. Nam Theodoreti verba Dial. I. juxta germanam versionem, sunt hæc: *Manifestum est institutum ijs, qui sunt divinis Mysterijs iniciati. Volebat enim (Servator) eos, qui sunt divinorum Mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, qua videntur, sed, propter nominum permutacionem, mutationi, qua fit ex gratia, credere.* En Stuckius omisit has duas voces: *qua videntur: & male particulam Proprie mutavit in particulam Per.* Cur autem hæc egerit, paulò post ex resp. 2. patebit.

Verba quoque ex Dial. 2. juxta versionem genuinam sunt ista: *Ne que enim signa mystica post sanctificatio-*

nem

nem recedunt à suā naturā. Manent enim in priore substantiā, & figurā, & formā, & videri, & tangi possunt, sicut & prius; intelliguntur autem ea esse, quae facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. Non urgebo, quod hæc ultima verba Stuckius omnino in sua citatione omiserit, quia ijs, qui mysterijs iniciati & instructi sunt, satis produnt, cuius præsentiam ipse D. Theodore-tus in Sacramento agnoverit. Illud solum aderti volo, quod ipse Stuck. loco verborum *Sicut & prius reddi-derit hæc : Quali etiam prius erant.* Aliud sane est, mystica symbola vide-ri, tangique posse, *sicut prius:* & aliud est, ea videri, tangique posse *qualia etiam prius erant.*

Gelasij quoque doctrinam melius in-notuisset, si Stuckius non tantum illa pauca verba, sed & antecedentia, & consequentia attulisset. *Certa Sa-ramenta,* inquit Gelasius, quæ sumi-mus, *Corporis & Sanguinis Christi,* di-vina res est, propter quod per eadem effici-mur divina confor-tes natura. Et

H <sup>r</sup> tamen

tamen esse non desinit substantia, vel natura panis & vini. Et certe imago, & similitudo Corporis & Sanguinis Christi in actione Mysteriorum celebratur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in Christo Domino sentendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, ac sumimus. Ut sicut in hanc, scilicet in divinam, transeunt Sancto Spiritu perficiente substantiam, permanente tamen sua proprietate natura, sic illud Mysterium principale.

Nec textus Ephræmi in suâ puritate relinquitur: is enim apud Photium loc. cit. his verbis legitur. *Corpus Christi, quod à fidelibus accipitur, substantiam visibilem non amittit, &c.* En hisco paucis verbis Stuckius inseruit hæc: *Panis videlicet: & quidem eodem charactere, ut ipsissima verba Ephræmi esse videantur.*

Nec Irenæo parcitur, cujus verba hæc sunt: *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, qua à corpore Domini & sanguine alitur? &c. Offerimus enim ei, qua sunt ejus, con-*

*gruen-*

gruenier communicationem & unitatem prædicantes carnis & spiritus.  
*Quemadmodum enim, qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans terrenâ & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia.* Hæc Irenæus. En verba illa: *non intereuntibus, sed permanentibus,* addidit non Irenæus, sed ipse Stuckius. Hic positis.

Respondeo 2. Theodoretum, Gelas. Ephræm. loc.cit. (*quemadmodum & tituli, & textus ipse docent*) non agere ex instituto de Eucharistia, sed contra illos hæreticos antiquos, qui docebant, quod in Christo una tantum sit natura, nempe divina: humana autem à Verbo assumpta fuerit transmutata (saltem post resurrectionem) in ipsam Divinam naturam. Hi hunc suum errorem probare conabantur inter alia etiam argumento à pari de Eucharistiâ, docendo: *quemadmodum in Eucharistiâ unica tantum*

tantum natura sit, nempe natura corporis Christi, natura autem panis transmutetur in ipsam naturam seu substantiam corporis Christi; sic & in Christo, aiebant, factam esse transmutationem. Patres non modò ostendebant, hoc argumentum à pari contra fidem Ecclesiæ productum esse infirmum; sed idipsum contra Adversarios retorquebant, lubentes concedendo, quod per sanctificationem in Eucharistiā mutatio, quam ipsa nominum mutatio indicet, fiat, ita ut panis & vinum in divinam transiant sancto Spiritu perficiente substantiam: at verò, addebat, hanc mutationem fieri circa naturam invisibilem, quæ tantum cadit sub intelligentiam, permanente tamen sua proprietate natura, ut ait Gelas. quæ proprietas aliud non est, quām accidentia naturæ alicui debita, quæ videri, tangique possunt, sicut prius. Et ideo ipsi concedebant, idem etiam jure merito de illo Mysterio principali, nempe de Incarnatione, cuius imaginem & similitudinem in Mysterio Eucharistiæ profitemur, celebramus


bramus & sumimus , sentiendum  
esse : nempe, et si mutatio quædam  
fiat per Unionem hypostaticam, atta-  
men permanere naturam corpoream  
humanam cum ipsa natura divina,  
quemadmodum sensibilis natura pa-  
nis & vini etiam post sanctificatio-  
nem manent in priori substantia &  
figura & specie, & videri, tangique pos-  
sunt, sicut prius, ut ait Theod. Dial. 2.

En, Patres juxta communem Ec-  
clesiae Christianæ fidem ( quam in hoc  
mysterio nec Adversarij negabant )  
indubitatum supponebant, corpus &  
sanguinem Christi in Eucharistiâ rea-  
liter adesse, quemadmodum natura  
divina realiter in Christo est ; & pa-  
ritatem faciebant inter naturam hu-  
manam corpoream in Christo, & na-  
turam sensibilem Mysticorum sym-  
bolorum in Eucharistia : & ideo in-  
stanter urgebant, non quod mutatio  
fiat, quam adversarij ultro concede-  
bant, sed quod sensibilis natura panis  
& vini remaneat post sanctificatio-  
nem, facta, Spiritu sancto perficiente,

muta-

mutatione, quam ipsa nominum mutatio, quæ post sanctificationē fit, satis indicet. Et hoc ideo, ut dixi, faciebant, ut à paritate ab adversariis etiam admissā, evincerent, in Christo, facta incarnatione, præter naturam divinam invisibilem, remanere etiam naturam humanam corpoream, & sensibilem &c. Hinc manifestum est, hæc loca SS. Patrum contra nostros quoque Adversarios (qui realem substantiam corporis Christi in Eucharistiā realiter adesse negant, & toti sunt, ut unicam symbolorum sensibilium mysticorum, nempe panis & vini naturam adesse, evincant) efficaciter pugnare, & manifeste docere, quod, sicut in Christo præter naturam humanam visibilem realiter est natura divina, & cum humanā unum constituit Christum, sic in Eucharistiā adsit invisibilis natura corporis & sanguinis Christi, simul cum naturā sensibili panis & vini, & sic ex his unum constituatur Sacramentum.

Instabitis I. Ergo SS. Patres etiam Indubitatum supponebant, naturam seu



seu substantiam panis ac vini in Eucharistiâ, etiam post consecrationem, remanere, quod vos negatis.

Respondeo, & distinguo: supponerunt, & loc. cit. docebant, remanere naturam panis ac vini insensibilem, quæ solùm sub intelligentiam cadit, & est radix suarum proprietatum & accidentium seu specierum, nego: supponebant remanere naturam sensibilem, quæ est ipsa natura accidentium, seu ipsa accidentia panis & vini, quæ videri, tangi, palpari, &c. possunt, concedo. Et certè SS. Patres naturam hanc duplicem agnovisse & distinxisse, satis ex loc. cit. patet; nam Theodoreetus de sensibili natura, seu de ipsis accidentibus loquitur, dum ait: *Voluisse Dominum, Sacramentis utentes non inten- tos esse in naturam eorum, quæ videntur.* De insensibili autem loquitur, dum addit: *sed propter nominum mutationem credere ei, quæ ex gratiâ facta est, mutationi.* Cùm enim naturam eorum, quæ videntur, permanere hîc supponat, & idem dial. 2. apertè doceat, & simul

dicat, mutationem fieri, hinc satis apparet, quod mutationem circa insensibilem naturam fieri supponat, ac doceat. Rursus de sensibili naturâ ait, signa, qua videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans. Rursus de cädem sensibili naturâ ait dial. 2. Neque signa mystica post sanctificationem recessunt à suâ naturâ: manent enim in priori substanciali, & figurâ, & formâ, & videri & tangi possunt, sicut & prius. Sanè hæc naturæ seu substantiæ insensibili non conveniunt, sed id, quod sequitur: Intelliguntur autem ea esse, qua facta sunt (nempe per mutationem insensibilis naturæ panis in naturam insensibilem corporis Christi) & creduntur, & adorantur, ut qua illa sint, qua creduntur. En ea, quæ mutantur, & fiunt, nec videntur, nec palpantur, sed intelliguntur & creduntur &c. & ideo non de sensibili, sed de insensibili naturâ intelligenda sunt. Eodem modo, ut videoas, quod D. Ephræm naturam etiam hoc modo distinguat, advertas velim,

velim, quod is ait: *Corpus Christi,*  
*quod à fidelibus accipitur, substantiam*  
*visibilem non amittit.* De insensibili  
*naturā addit: sed à gratiā sub intelli-*  
*gentiam cadente inseparatum manet.*  
*Similem distinctionem facile adver-*  
*tere est etiam apud alios Patres. Pro-*  
*fectò non potest dari alia solida ra-*  
*tio, ob quam SS. Patres toties incul-*  
*cent, symbola mystica quoad natu-*  
*ram eorum, quæ videri, palpari &c.*  
*possunt, remanere, nisi ut manifestius*  
*appareat, ipsos docere, non quamli-*  
*bet naturam, sed solam naturam sym-*  
*bolorum seu panis & vini sensibilem*  
*remanere, quæ natura nihil aliud sit,*  
*quam ipsæ species, seu accidentia pa-*  
*nis & vini, quæ videntur, palpan-*  
*tur &c. sicut prius. Et hoc nos non ne-*  
*gamus, sed utique concedimus. Theo-*  
*phrastus librum inscripsit de naturā*  
*plantarum, in quo non de materiā &*  
*formā, seu de invisibili earum naturā*  
*disputat, sed de qualitatibus v. g. an*  
*sinapi sit siccæ, calidæ, vel frigidæ na-*  
*naturæ &c. quam sensibilem naturam*  
*periti medici ipsis sensibus præser-*  
*tim*

tim gustatūs & odoratūs indagare solent. Sic etiam S. Ambrosius lib. de myst. cap. 9. dicit. Hebræis mare rubrum transeuntibus, naturam maritimum fluctuum esse mutatam: & tamen non est mutata natura insensibilis, seu interna substantia maris, sed sola gravitas, ac fluibilitas, quæ sunt accidentia, & dicuntur ipsa sensibilis natura maris.

Instabis 2. Theod. dial. 2. expressè de symbolis ait: *Manent in priore substantiâ*: Gelasius quoque dicit: *Non desinit substantia, vel natura panis & vini*. Ergo nulla est data distinctio.

Respondeo, Patres, vel potius ipsorum interpretes, nomen *substantia*, quemadmodum, uti dixi, & nomen *natura*, non in strictiore, sed ampliore sensu sumere, & per *substantiam* intelligere id, quod alicui rei proprium, ac naturaliter debitum est, qualia etiam sunt ipsa accidentia, imo & opes alicui debitæ, ita ut *substantia h̄ic nihil aliud sit, quam natura sensibilis, seu accidentia alicui essentiæ naturaliter debita*. Et quidem, ut manifeste

festē appāreat, rem ita se habere, pri-  
 mūm adverto, quōd Gelasius postmo-  
 dum de his symbolis dicat : *in hanc, scilicet in divinam transeunt, S. Spiritu per-*  
*ficiente, substantiam, permanente tamen*  
*sua proprietate naturae.* Ergo, subjun-  
 go, permanet proprietas naturae.  
 Quæ autem est hæc proprietas naturae,  
 nisi accidentia, seu ea, quæ videri,  
 tangi, &c. possunt, sicut prius? Et  
 quid est id, quod, hæc *naturae proprie-*  
*tate permanente, in Divinam transit S.*  
*Spiritu perficiente substantiam?* Sanè  
 non aliud, nisi ipsa natura, seu sub-  
 stantia insensibilis panis & vini, quæ  
 non sub sensu, sed sub intelligentiam  
 cadit. At vèrò nomen *substantia* etiam  
 in ampliore sensu sumi, patet ex pluri-  
 bus locis. Sic Deus dicitur delevisse  
 per diluvium omnem substantiam. Gen. 7.  
**23.** Abraham quoque tulit Sarai uxorem  
 suam, & Lot filium fratri sui, univer-  
 samque substantiam, quam possederant.  
 Gen. 12. 5. Similia leges. Gen. 13. 6. &  
**14. 11.** &c. Sathan ait ad Deum de Job.  
 Nonnè tu vallasti eum, ac domum ejus,  
 universamque substantiam ejus? cap.

I. 10.

1. 10. En per *substantiam* bona ad aliquem pertinentia intelliguntur: cur ergo non etiam accidentia, quæ magis rei inhærent, quam hujusmodi bona externa, *substantia* ejus dici possint: David exclamat: *Substan-*  
*tia mea tunquam nihilum ante te. Psal.*  
 38. 6. Sanè h̄c & alibi totam suam naturam tam visibilem, quam invisiblem intelligit. Hinc Theodore-  
 tus loc. cit. (ut intelligas, de quā substan-  
*tia loquatur*) non tantum ait,  
*manent in priori substantiâ, sed addit,*  
*& quasi inculcat: & figura, & forma,*  
*& videri & tangi possunt, sicut & prius.*  
 En quam clarē prodat, se de substan-  
*tia, naturâ, & formâ, quæ videri, &*  
*tangi possint, seu de ipsis accidenti-*  
*bis, seu naturâ sensibili loqui!*

Cæterū sciendum est, Theodo-  
 retum, Ephrænum &c. non latinâ,  
 sed græcâ linguâ scripsisse, & eos  
 usos esse nomine στά, quod latini in-  
 terpretes jam *essentiam*, jam *natu-*  
*ram*, jam *substantiam* vertunt: στά  
 autem derivatur à participio fæm.  
*præsentis temporis στα à verbo εἰμι,*  
*sum,*

sum, & ideo &<sup>ḡr̄a</sup> idem est ac *essens*, si liceret inusitato verbo uti. Quare sicut ab hoc *essens* derivatur nomen *essentia*, sic ab &<sup>ḡr̄a</sup> nomen &<sup>ḡr̄a</sup> significans omne id, quod alicujus est, seu ad aliquem pertinet. S. Chrysostomus Græcæ linguæ peritissimus hom. 12. in Gen. loquens de igne Babylo-nico, ait: *Vidisti, quod quando Dominus vult, elementa omnia in contraria-riam mutat essentiam.* In Græco est μεταλλεύσαι &<sup>ḡr̄a</sup>. Tom. 2. Edit. Par. fol. 104. At, quod nec in igne Babylo-nico, nec in mari rubro fuerit mutata interna, sed tantum externa sub-stantia, seu natura ignis ac maris, id est, ipsæ qualitates, docet August. re-latus supra fol. 161. Minime ergo gratis dicimus, etiam à prædictis PP. per &<sup>ḡr̄a</sup> naturam seu substantiam non intelligi loc. cit. substantiam inter-nam invisibilem (etsi hæc sola in ri-gore scholastico dici soleat *substan-tia*) sed naturam sensibilem seu ipsa accidentia, maxime cùm PP. expres-sè eam vocent *sensibilem naturam* ac *substantiam*, & indicent mutatio-

I nem

nem insensibilis substantiæ fieri, uti  
dixi fol. 187. S. Lucas, & ipse linguae  
Græcæ peritisimus, ὅτιαν substantiam  
in sensu adhuc magis amplio sumit,  
nempe pro ipsis opibus. Nam cap. 15.  
dum refert filium prodigum ad pa-  
trem dixisse: *Da mihi portionem sub-  
stantie, qua me contingit:* v. 12. uti-  
tut etiam nomine ὁλα. Δός &c. τὸν  
ὅλας. Et rursus Λεενόποτε τὴν ὁλιαν  
ἀντέσαιτ: *Dissipavit substantiam suam.*  
v. 13. Cur ergo miremur, si & Pa-  
tres, vel eorum interpretes, subinde  
per nomina ὁλα, natura, substantia  
intelligunt ipsa accidentia alicui rei  
debita?

Instabis 3. Quidquid realiter sit  
natura, seu substantia sensibilis panis  
& vini, Patres dicunt, panem & vi-  
num esse *visibilia*, & *mystica symbola*  
*ac signa corporis & sanguinis Christi.*  
Panis & vinum dicitur a Macario Æ-  
gyptio *antitypum carnis & corporis*  
*Christi.* A Gelasio, *Imago & similitu-  
do corporis & sanguinis Christi.* Ergo  
in Eucharistiâ non est realiter ac  
substantialiter præsens verum cor-  
pus

pus & sanguis Christi, sed tantum na-  
tura panis & vini, veluti *signum, sym-  
bolum, antitypum, imago, & similitudo*  
veri corporis & sanguinis Christi in  
cœlo.

Relp. & concessu antecedente,  
nego consequentiam. Nec imme-  
ritò: quæ enim esset consequentia, si  
quis diceret; *Corona & purpura sunt  
signa ac symbola regis: sed corona &  
purpura manifestè cernitur in eo, qui se-  
det in throno, ergo in throno non  
adest realius ipsa persona regis, cuius  
signa ac symbola ad sunt?* Quid conve-  
nientius, quāmut palmea corona ge-  
stetur in capite ipsius victoris, cuius  
signum ac symbolum est? Jam supra  
fol. 165. vidimus, quod ipse Stuckius  
evincere conatus sit, non tantum  
conveniens, sed & necessarium esse,  
ut id, quod sustinet analogiam, in Sa-  
cramento realiter præsens existat.  
Cur ergo concludatur, Corpus Chri-  
sti in Eucharistia ideo non adesse rea-  
liter, quia ipsius signum ac symbo-  
lum adest? Præsentiam realem Re-  
gis alias mihi incogniti ex signis ac

I 2                sym-

symbolis, nempe ex coronâ & purpurâ agnosco: cur non & ipsam corporis Christi præsentiam agnoscam in Evcharistia ex ipsis ejusdem signis ac symbolis mysticis? Certe prædicti Patres numquam negant, ipsum corpus Christi realiter in Sacramento adesse, licet dicant, quod ejus mystica symbola ac signa adsint; sed aperte docent, utrumque adesse, & etiam, (mutatione, *Spiritu Sancto perficiente, factâ*) permanere, & sic duo esse in Sacramento, unum visibile, quod sub sensu cadit, & videri ac tangi potest, alterum invisibile, quod sub intelligentiam cadit, creditur & adoratur. Hinc patet, cur clarè Ireneus dicat: *Evcharistia ex duabus rebus constat, terrena & cœlesti. Terrena, scil. naturâ sensibili panis, Cœlesti, scil. corpore Christi.*

Resp. 2. quod sensibilis natura panis (idem semper intellige de vino) etiam ob aliam rationem ab antiquis Patribus (& præcipue loc. cit. à Gelasio) dum de duabus naturis in Christo agunt dicatur *antitypum, imago*,

ac

ac similitudo, vel etiam subinde figura corporis Christi, nempe quia inter sensibilem naturam panis in mysterio Eucharistiae, & inter corpus Christi in mysterio principali incarnationis, singularis similitudo est, ut expressè Gelas. & Theod. dicunt. Nam, sicut visibilis natura panis, etiam post sanctificationem, non mutatur, et si gratia, id est, corpus Christi, ipsi adiiciatur (ut ait Theod.) sic natura corporea in Christo non mutatur, et si per Unionem hypostaticam natura Divina ipsi adiiciatur. Unde sicut sensibilis natura panis & vini dicitur signum visibile, seu mysticum symbolum invisibilis corporis Christi in Eucharistia: sic visibilis & corporea natura humana Christi est signum visibile seu mysticum symbolum ipsius Deitatis. Ideo visibilis natura in Christo dicitur à Theodoreto Dial. I. velum ac indumentum Deitatis. Et, ne videatur aliquid novum aut incongruum dixisse, adducit loca S. Scripturæ.

Et primum quidem locum I. Tim.

I 3

3. 16q

3. 16. ubi S. Paulus de filio Dei incarnato ait: *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne &c.* His subjugxit Theod. *Quod per carnem manifestatam esse naturam, qua sub aspectum non cadit, dixit Apostolus, permittit, ut carnem Divinitatis velum intelligamus.* Et rursus: *Divinus Apostolus ad Heb. 10. aperte hoc nomine usus est: ita autem dixit: Habentes ergo, fratres, libertatem in introitu Sanctorum in sanguine Iesu, quam iniciavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam. v. 20.* Hæc Theod. Postmodum, ut hoc confirmet, etiam locum hunc adducit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uva indumentum suum. Gen. 49. 11.* Et quærerit: *Ostende ergo, quando, vel ubi in sanguine uva laverit indumentum?* Hinc ipse concludit, per sanguinem uva intelligi verum sanguinem, & per indumentum ipsam carnem Christi, quia caro seu carnea natura Christi est veluti velamen ac indumentum naturæ divinæ, quæ sub illa

illa sensibliter continetur, & per il-  
lam quodammodo visibilis redditur.  
Quare argumentum SS. Patrum hoc  
syllogismo continebatur.

Sicut se habent mystica symbola  
panis ac vini in mysterio Evcharistiae,  
sic se habet corpus Christi in myste-  
rio Incarnationis.

Sed mystica symbola panis ac vini  
in mysterio Evcharistiae, etiam post  
sanctificationem seu consecrationem,  
remanent in priori naturâ sensibili,  
licet corpus Christi sub illa adsit.

Ergo etiam corpus Christi in my-  
sterio incarnationis post unionem  
hypostaticam, remanet in suâ naturâ  
sensibili seu corporeâ, et si divinitas  
sub ipso adsit.

En Patres, quin & adversarij eo-  
rum, supponebant indubitatum, in  
mysterio Evcharistiae verum corpus  
Christi sub mysticis symbolis panis &  
vini, quasi sub velamine adesse reali-  
ter; quemadmodum in mysterio In-  
carnationis sub corpore humano, ve-  
luti sub velamine realiter adest divi-  
na natura: & ideo ab ipsis mystica

symbola Eucharistiae vocabantur anti-  
zypus, imago, similitudo, vel etiam fi-  
gura corporis Christi, quod in myste-  
rio Incarnationis in sua natura manet.

Instabis 4. S. Macarius ait: *Qui  
de pane visibili accipiunt, spiritualiter  
carnem Domini edunt.* Ergo non rea-  
liter ac substantialiter.

Resp. 1. Concesso antecedente,  
juxta explicationem datam, nego  
consequentiam; nam S. Pater, dum  
ait, spiritualiter carnem Domini edi,  
non negat, eam simul realiter ac sub-  
stantialiter edi; sed tantum negat,  
eam non edi carnaliter, seu cruento  
modo, eo nempe, quo Capharnaite  
carnem Domini edendam sibi per-  
suaserunt. Joan. 6. 52.

Resp. 2. Etiam si S. Pater per  
comestionem spiritualem etiam intelli-  
geret comestionem, quæ fit per ve-  
ram fidem, adhuc non immerito ne-  
gari illatam consequentiam. Nam ex  
eo, quod aliquis carnem Domini spi-  
ritualiter verâ fide edat, nō sequitur,  
quod eam simul non etiam verè, rea-  
liter, ac substantialiter edat. Imo,  
si quis

Si quis vult corpus Christi dignè ac utiliter sumere, necesse est, ut id non tantum realiter; sed etiam spiritualiter cum verâ fide ac spiritu sumat, uti docet Concilium Trid. sess. 13. cap. 6. Nam rectè ac sapienter, ait, Patres nostri tres rationes hoc S. Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores: alios autem spiritualiter, illos nimis, qui voto propositum illum cælestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem sentiunt. Tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter: iij autem sunt, qui ita se prius probant & instruunt, ut vestem nuptialem indui, ad divinum hanc mensam accedant. Evincent adversarij, neminem posse corpus Christi simul & spiritualiter, & sacramentaliter re ipsâ sumere, ut ex hoc rite concludant, Patres negare sumptionem realis corporis Christi, dum dicunt, id sumi spiritualiter. Sed de his plura infra.

Instabis §. S. Ephræm comparat  
I § sacra-

Sacramentum Evcharistiae cum Baptismo; sed symbolum visibile Baptismi est mera aqua naturalis. Ergo etiam symbolum visibile Evcharistiae est merus panis & vinum naturale.

Resp. 1. falsum esse quod S. Ephræm loc. cit. Evcharistiam & Baptismum inter se comparet; nam uti totum textum legenti manifeste apparet, ipse comparat naturam Christi cum Evcharistia, & cum Baptismo, ut evincat, in Christo duas naturas esse, humanam corpoream visibilem, & divinam spiritualem invisibilem: ut satis haec tenus, Ideo ait: *Baptismus, qui etiam &c.*

Resp. 2. Etsi S. Ephræm aliquam comparationem inter Evcharistiam & Baptismum ficeret, non sequitur, paritatem in omnibus esse oportere. Quare licet paritas aliqua concedatur, non necessariò sequitur: Ergo paritas est in hoc vel illo: potest enim esse in alio. Sanè nec S. Ephræm, nec ullus aliis S. Pater paritatem inter Evcharistiam ac Baptismum hanc esse dicit, quod, sicut in Baptismo mera aqua

aqua absque ulla ejus vel visibilis vel  
invisibilis naturæ mutatione perma-  
net, pari modo & visibilem naturam,  
(seu species) & invisibilē substantiam  
panis ac vini in Eucharistia permane-  
at. Contra quod multò excellentio-  
ri, immo alio prorsus modo de Eucha-  
ristia SS. PP. loquantur, quam de  
Baptismo, supra ostendimus, fol. 80.  
83. 86. 90. 104. &c.

Ex his collige I. quam fallum sit,  
quod Stuckius ait: *Patres hoc ipsum  
clarissimis docent verbis*, nisi velit con-  
cedere, hoc ipsum esse id, quod Ec-  
clesia Catholica adhuc hodierno die  
docet, & firmiter credit, nempe ve-  
rum corpus & sanguinem Christi in  
Eucharistia verè ac realiter post con-  
secrationem adesse, & ore non tan-  
tum cordis; sed & corporis, realiter  
sumi. 2. Verba ex prædictis SS. PP.  
à Stuckio allata non esse clarissima,  
sed satis obscura. Nec mireris velim:  
nam SS. PP. non coram omnibus de  
hoc mysterio clarissimis verbis lo-  
quebantur, nec coram ipsis cathecu-  
menis, quod possem ex S. Augustino

& alijs SS. Patribus probare: at sufficiat testimonium ipsius Theodoreti, cuius autoritatem tanti facit ipse Stuckius, ut eam quasi irrefragabilem præ omnibus alijs primam objecerit. Hic Pater, quāmprimum de hoc di vino (sic id ipse etiam vocat) mysterio agere l̄incipit, in utroque dialogo ad Eranisten, cum quo loquitur: ait.

*Velim te paulò magis mysticē responderē. Adsunt enim fortasse nonnulli, qui non sunt initiati mysteriis. Tum Eran. Ita audiam, & ita respondebo. Dial. 1. Et rursus: Non oportet aper-  
tē dicere; est enim verisimile, adesse aliquos mysteriis non-initiatos. Tum Eran. Respondeatur enigmaticē. Sic  
Dial. 2. En, an clarissimis verbis lo-  
cūtus sit? Et quidem, si, uti ait Stuck.  
sic passim alij docent Paires, cur clari-  
riora & sibi melius conducentia loca  
non adduxit? Certe jam supra fol.  
77. vidimus, Patres passim docere,  
veram internam substantiam panis ac  
vini non manere, etsi externa sensi-  
bilis (id est, ipsa accidentia) maneat.  
Imō quāro, cur de hoc Sacramento,*

coram

coram non iniciatis, non aperte, sed  
mysticè, quin & enigmatice loqui o-  
portuit? Certè non alia de causâ, ni-  
si quia doctrina, quam jam tunc Chri-  
stiana Ecclesia docebat, (nempe in  
hoc Sacramento sub signis seu acci-  
dentiis panis ac vini verè ac reali-  
ter corpus & sanguinem Christi præ-  
sentem esse, atque à fidelibus sumi)  
ijs, qui nondum mysterijs iniciati &  
fide firmi erant, scandalo ac horrore  
fuisset, quemadmodum doctrina de  
mysterio principali, puta de Incar-  
natione, Iudaïs quidem scandalum,  
Gentibus autem stultitia fuit. 1. Cor. 1.  
23. Imo quemadmodum hoc ipsum  
Christo contigit: nam dum, Joan. cap.  
6. diceret: Panis, quem ego dabo, caro  
mea est, v. 51. Caro enim mea verè est  
cibus, & sanguis meus verè est potus,  
v. 55. Multi audientes ex discipulis  
ejus dixerunt: Durus est hic sermo, &  
quis potest eum audire? v. 60. Ex  
hoc, ait Joannes, multi discipulorum  
ejus abierunt retro: & jam non cum  
illo ambulabant. v. 66. Cum autem  
Jesus diceret ad duodecim. Nunquid

& vos vultis abire. v. 67. Respondeat  
*et* Simon Petrus: Domine ad quem ibi-  
 mus? Verba vita eternae habes, & nos  
 credimus, & cognovimus, quia tu es  
 Christus Filius Dei. v. 68. 69. En, hoc,  
 uti & illud principale mysterium, fi-  
 dem firmam requirit. Certè si Pa-  
 tres de hoc mysterio nihil aliud do-  
 cuerunt, quam quod hodie docent  
 prætensi Reformati, causa non erat,  
 cur de eo mysticè ac ænigmatische lo-  
 querentur coram ijs, qui fide  
 adhuc infirmi erant. Sit ergo do-  
 ctrina Ecclesiæ Catholice de hoc my-  
 sterio Evcharistico nostris adversa-  
 rijs, tanquam fide infirmis, scandalum  
 ac stultitia, ut ideo à divino hoc dono  
 recedant: sane est mysterij initia-  
 tis, & vera fide firmis, seu quemad-  
 modum de Christo crucifixo Paulus  
 ait. *Ipsius vocatis Dei viris, &*  
*Dei Sapientia.* I.  
*Cor. 1. 24.*



C A-

## CAPUT XI.

OBJECTIO UNDECIMA  
REPELLITUR.

**O**bijces 11. cum Stuckio pag. 34. ubi ait: Parochum interrogō, an tutō, & sine reservatione aliquā mentis credat in ullam hostiā? Dubitante, sine dubio respondebit, & reluctante conscientiā. Quomodo igitur invocabit illam, in quam non credit? Vide ad Rom. 1.14. Has angustias non metuunt, qui spretā superstitione cum fiduciā & certā persuasione cordis ad iheronum gratiæ accedunt, ut consequantur misericordiam, & gratiam inventant ad opportunum auxilium. Heb. 4.16. & 10.22. Hæc Stuckius.

Resp. 1. Et quæro, in quem cœderit cæcus ille Bartimæus, qui, ut refert Marcus 10. sedebat iuxta viam mendicans, & cùm audisset, quia Iesus Nazarenus est (qui transibat) capie clamore, & dicere: Iesu, Fili David, miserere mei. v. 47. Quæro, inquam, an hic cæcus tutō & sine reservatio-  
ne

ne aliquâ mentis crediderit in ullum illâc transeuntem? Quisquis apte respondere voluerit, dicet, hanc meam quæstionem involuere plura, & diversa, nempe tria quælita, per modum unius. Nam 1. quæxi debet, an Bartimæus crediderit in promissum Mesiām. 2. An crediderit, Jesum Nazarenum esse promissum Mesiām. 3. An crediderit, Jesum Nazarenum per viam, iuxta quam sedebat mendicans, transire. Ad primum respondebit, Bartimæum tutò & sine reservatione mentis credidisse in promissum Mesiām, & quidem fide divinâ ob tot ac tanta divina vaticinia. Ad 2. dicet, Bartimæum etiam tutò & sine reservatione mentis credidisse, Jesum Nazarenum esse verū Mesiām, & quidem etiam fide divinâ, ob tot ac tanta facta mirabilia &c. Ad 3. dicet, Bartimæum etiam credidisse, Jesum Nazarenum illac transire, at ipsum hoc credidisse fide humana, at-tamen prudentissime, cùm turbas audiret testantes, transeuntem esse Jesum Nazarenum, nec ipse ullum pru-

prudens motivum haberet in contrarium. Hæc fides humana, velut conditio applicans, internam fidem divinam jam antea in animo conceptam excitavit; unde factum est, ut tuto & sine actuali reservatione mentis (forsan etiam in genua proolutus) exclamaret: *Iesu Fili David, miserere mei.* Ira tamen animo paratus, & in JESUM affectus erat, ut in ipsum JESUM, & non alium (si ipse forsan non pertransiret) hunc cultum dirigere implicitè cogitaret. Sanè Jesus hanc ejus fidem non tantum miraculo subsecuto, quo ei visum dedit, sed etiam publico testimonio approbavit, dicens: *Respic: fides tua te salvum fecit.* v. 24. His positis

Resp. 2. directè, & dico, etiam quæsitus Stuckij tria diversa, per modum unius, involuere. 1. An Parochus tuto & sine reservatione aliquà mentis credat JESUM Nazar. esse Christum Filium Dei. 2. An etiam credat, verum corpus ac sanguinem Jesu sub speciebus hostiæ consecrata realiter ac substantialiter adesse.

3. An

3. An credat ullam hostiam esse consecratam. Parochus respondet distincte ad hæc tria, & profitetur se rato & sine reservatione aliqua mentis credere. 1. Jesum Naz. esse Christū Filium Dei, & quidem se hoc credere fide divinâ ob plura divina motiva,  
 2. Verum corpus & sanguinem Christi Jesu sub speciebus hostiæ ritè consecratae realiter ac substantialiter adesse: & se hoc quoque credere fide divinâ ob testimonium Christi ab Evangelistis relatū, & juxta communem SS. Patrum explicationem intellectum. 3. Hanc vel illam hostiam esse ritè consecratam, credit Parochus (quemadmodum Bartimæus credidit Jesum transire) quotiescunque habet motiva credendi, hanc vel illam hostiam exhibitam esse ritè consecratam, ut prudenter dubitare non possit; ita tamen, sicut Bartimæus, animo implicitè paratus, & in Jesum affectus est, ut, si forsan hostia non esset consecrata, ipse hostiam non adoraret. Quare, si Parochus hac fide internè excitatus, vel etiam in

in genua provolutus, coram hostiâ expositâ exclamat: *Jesu Fili David miserere mei*, nullo modo dubitat, à Christo Domino hanc fidem, imò & reverentiam, ac adorationem suam, æquè ac illam Bartimæi, approbari & acceptam haberi.

Dices, quodsi autem exposita hostia non esset ritè consecrata (quod facile fieri potest) committeretur à Parocho Idolo - seu Artolatria, & consequenter actio Parochi non esset Christo grata, sed gravis ipsius offensa; siquidem ille cultus, qui soli Deo debetur, creaturæ, neimpe pani, exhiberetur.

Respondet 1. Parochus, et quærit: quid si Bartimæus à transeuntibus & testantibus, Jesum Nazarenum secum transire, deceptus fuisset, & Jesus Naz. inter transeuntes non fuisset: an non commisisset Idolatriam, exhibendo puris hominibus eam reverentiam, ac cultum, qui soli Deo debetur? An non se fecisset rerum gravis criminis? Parochus non judicat, quod Jesus ipse, audito hoc commisso

missò errore, Bartimæum ullius criminis reum, sed potius gratiâ ac favore dignum judicâisset. S. Gregorius narrat in vita S. Benedicti, quod Rex Totila ad S. Benedictum præmiserit Spatharium suum regio ornatu, & comitatu, qui se regem simularet. At sanctus spiritu Propætico à Deo donatus simulatum regem mox agnovit. Sed quid si sanctus illum non agnovisset, & Regem Totilam esse ratus ipsum omni reverentia & cultu Regi ipsi debito exceptisset? An forsan crimen læsa Mæjstatis commisisset, ipsumque Regem ad justam indignationem provocâisset? Minime: sed Rex hunc Spathario suo, qui se jussu suo Regem simulabat, cultum exhibitum, ac si sibi ipsi exhibitus fuisset, gratum, acceptumque habuisset. Quare:

Resp. 2. Parochus directe, & dicit, nullam se in dicto casu committere do lo- seu Artolatriam, cum nullo modu creaturæ, nempe pani, honorem Deo debitum exhibeat; sed ipsi Christo; & ideo non timet, se ullius criminis reum

reum à Christo judicandum: immo certus est, adorationem etiam coram tali hostiâ exhibitam, à Christo, velut sibi exhibitam, esse acceptandam. Hoc ut probè capias, & intelligas, advertendum est, ad adorationem tria requiri. 1. Ut habeamus bonam existimationem de excellentiâ illius, qui adorandus est: quemadmodum Bartimæus optimam existimationem de excellentia Jesu Nazar. habuit. 2. Ut nos interno affectu, propter conceptam ejus excellentiam, illi submittamus, quemadmodum & Bartimæus se Jesu interno affectu submisit. 3. Ut internam bonam existimationem, & submissionem aliquo externo signo testemur, sicut etiam testabatur Bartimæus, (forsan se in genua provolvendo) vel saltem clamando. *Iesu Naz. miserere mei.* Quare, licet non Jesus, sed alij tantum puri homines per viam transivissent, Bartimæus non illos homines, sed potius Jesum (licet absens tuisset, quem tamen transisse prudenter credebat) adorâset, quia internam bonam existimationem

tionem & submissionem non erga  
alios homines, sed erga Jesum habui-  
set; nec reverentiam, atq; clamorem  
ipsum propriè erga alium, quàm Je-  
sus direxit, & ideo nullius criminis  
reus; sed etsi Christus non transil-  
set, meritò laude dignus fuisset. Sic  
nos Catholic i reverentiam & cultum  
exhibentes hostiæ propositæ, bo-  
nam, imò optimam existimationem  
internam habemus non de excellen-  
tia panis, sed Christi. Nec tam insa-  
ni sumus, ut ullo interno affectu nos  
pani submittamus, sed Christo: &  
sic, propriè loquendo, nec cultum  
externum, quem internis erga Chri-  
stum conceptis affectibus excitati  
ostendimus, ipsi creaturæ, nempe  
pani, sed Creatori, nempe Christo,  
quem in hostia proposita præsentem  
prudenter credimus ( licet forsan  
in hostia non adesser) exhibemus,  
& ideo nullo modo artolatræ su-  
mus.

Instabis: Genua coram hostiâ fle-  
atit; ergo verè hostiam, & si hæc  
non esset ritè consecrata, ipsum pa-  
nem

nem adoratis, & consequenter, saltem hac de causâ, estis artolatræ.

Resp. in hoc casu hostiam, quatenus panis est, non formaliter, sed tantum terminativè coli. Nam substantia panis, quæ in hostia non consecrata manet, nullo modo formale est motivum, sed tantum terminus genuflexionis, quæ erga panem tantum externè dirigitur, at cum bonâ existimatione de excellentia non panis, sed Christi : nec concepto erga panem, sed erga Christum, interno affectu: & ideo, et si coram pane externum actum genuflexionis faciamus, hic propriè non in panem, sed in Christum dirigitur. Reim adhuc alio quotidiano exemplo explicco. Fit, ut ferventissimi servi Dei terræ, in signum profundissimæ reverentiarum, ac submissionis erga Deum, figant osculum! Terra in hoc casu est terminus hujus deosculatationis ; verus autem cultus dirigitur in ipsum Deum Creatorem, ob cujus summam Majestatem terram, *velut* scabellum pedum ejus, deosculamur:

mur: unde in hoc casu non terra,  
 quæ tantum est terminus, sed ipse  
 Deus, cuius Majestas motivum est  
 hujus osculi, verè dicitur coli & ado-  
 rari. Eodem modo, et si hostia non  
 consecrata terminus sit genuflexio-  
 nis nostræ, attamen cultus non in  
 panem, sed in Christum, cuius excel-  
 lentia motivum est genuflexionis,  
 dirigitur. Quare et si, in dato casu,  
 non esset Christus sub speciebus ho-  
 stiæ præsens adhuc tamen ipse tali  
 cultu coleretur. Imò pluris fit tellus,  
 dum eam osculamur, quam hostia non  
 consecrata, dum coram eâ genua fle-  
 etimus; quia cognoscendo terram es-  
 se terram, eam osculamur; coram ho-  
 stia verò, dum genua fleetimus, id fa-  
 cimus, quia Christum omni cultu di-  
 gnissimum in eâ prudenter credimus  
 esse præsentem. Quod de genu-  
 flexione dixi, idem de alijs sacris cæ-  
 remonijs, quas circa expositam ho-  
 stiam exercemus, sentiendum est.  
 At de his, quæ propriè non ad præ-  
 sentem quæstionem de reali præsen-  
 ti corporis Christi in Eucharistia,  
 sed

sed de hujus adoratione pertinent,  
satis.

Ex his sequitur, quām frivola, ac  
prorsus nulla sit responsio illa, quā  
Stuckius non modō se crimine calum-  
niæ purgare conatus est, (quod in  
Thesibus suis vocaverit nos *Pseudo-*  
*Catholicos*, dixerat nos adorare *Ido-*  
*lum*, *Præsbyteros* appellaverat *imposto-*  
*res*, *commenticos Sacerdotes*; *Missam*  
& *Eucharistiam nostram nominaverat*  
*figmentum magicum, abominationem &*  
*Idolomaniam missaticam, artolatriam,*  
*& ritus magicos, &c.) sed rursus ea-*  
dem hisce confirmavit: *Quæ scripsit*,  
ait, *verissima esse, ex luculentâ illorum*  
*defensione jam uberiorū constat. Non*  
*autem acerbioribus illis verbis usus sum,*  
*ut te, vel alios traducerem, sed ut no-*  
*strōs, scapham appellando scapham, in ve-*  
*ritatis studio confirmarem, & si quis ve-*  
*strūm forsan illa legeret, is correptione*  
*salutari monitus, seriām de fidei suā exa-*  
*mine cogitationem susciperet. Hæc ille*  
fol. 39. Sed replica: *Quæ scripsit*  
Stuckius contra *Eucharistiam*, *falsilis-*  
*sima esse, ex luculentâ nostrâ refuta-*

K tione

tione jam uberioris constat illi , qui  
 eam , sepositis animi erga utramque  
 partem affectibus , legerit ; & quidem  
 si ea non modò obiter legerit , sed eti-  
 am , quod summè precor , maturius  
 perpenderit . Cæterū , quòd acer-  
 bioribus illis verbis usus sit , non ut  
 me , vel alios traduceret , sed , ut suos ,  
 scapham appellando scapham , in verita-  
 tis studio confirmaret , maximè admir-  
 tor , nec approbo . Et quidem non ap-  
 probo , quia etsi scapha , quam scapham  
 esse constat , jure appelletur scapha ; at-  
 tamen aliud , de quo adhuc lis est , an  
 scapha sit , probari , non tantum dici  
 debet scapha . Miror autem quòd , ut  
 suos in veritatis studio confirmaret ,  
 Eucharistiam ac Missam appellaverit  
 figmentum magicum , &c. Si enim sui  
 sapiunt , non scommatibus , sed rationi-  
 bus ducentur & censemebunt , doctrinam  
 Catholicam non illis invehendam , sed  
 his nervosè expugnandam esse . Cer-  
 rē , si quis nostrū illa forsan lege-  
 ret , de fidei suæ veritate eò magis  
 confirmaretur , quòd clarius adverte-  
 ret , ideo scripta Adversariorum hujus-  
 modi

modi calumnijs condiri, ut suos simpliores in fictitiæ suæ veritatis studio confirment, ac à puræ veritatis studio nostros avocent, quemadmodum matres mentiri solent, varia monstra extra domum vagari, ut filios hoc mendacio conterritos, eò facilius domi contineant.

Quām astutè autem hujusmodi propositiones fallæ, quasi essent verisimæ, ab adversarijs sèpius supponi soleant, ut à lectoribus vel auditoribus minus cautis & attentis assensum facilius impetrant, satis patet ex ijs, quæ initio, dum statum quæstionis hujus à Stuckio propositum examinavimus, fol. 3. &c. dicta sunt.

At de his, quæ potius defuncti personam, quām ipsam quæstionem concernunt, plura non loquor.

Quid verò Scotus senserit, & an ατοπον, id est, absurdum sit, Christi corpus, quod sedet in cœlo ad dexteram Patris, eodem simul tempore vere ac realiter esse in Sacramento; an glorio-  
so corpori Christi nihil indignius fangi possit, quām illud sub accidentibus,

velut in carcere, uti ait Stuck. fol. 36.  
 detineri, & alia hujusm. explicabun-  
 tur in parte sequenti, quæ, ut addatur,  
 expostulat illa Anatome Concilij Tri-  
 dentini Historico - Theologica, quam  
 D. Joan. Henricus Heideggerus con-  
 tra universam doctrinam Catholicam,  
 & sic etiam contra hanc, quam  
 propugnamus veritatem, nu-  
 per in lucem edidit.



P A R S